

PROPRIUM ORDINIS PRÆDICATORUM

MISSALE  
ET  
LECTIONARIUM

AD NORMAM DECRETORUM  
SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II  
INSTAURATUM

REV.MI P. FR. VINCENTII DE COUESNONGLE  
EIVSDEM ORDINIS MAGISTRI  
AUCTORITATE EXARATUM  
EIVSQUE IN MUNERE SUCCESSORIS  
REV.MI P. FR. DAMIANI BYRNE  
IUSSU EDITUM



EDITIO TYPICA

ROMÆ  
AD SANCTÆ SABINÆ  
1985

CURIA GENERALITIA  
ORDINIS PRÆDICATORUM

Hanc Proprii Ordinis Prædicatorum MISSALIS et LECTIO-  
NARIII editionem, ad normam Decretorum Sacrosancti Œcu-  
menici Concilii Vaticani Secundi instauratam et a Congre-  
gatione pro Sacramentis et Cultu Divino rite approbatam,  
seu confirmatam, typis edi mandamus.

Omnibus Familiæ Dominicanæ sodalibus, quibus præcipue  
destinatur, ipsam uti typicam libenter præbemus. Illi exinde  
omnes editiones linguis vernaculis conformandæ erunt.

Romæ, 3 aprilis 1985.

Fr. DAMIANUS BYRNE, O.P.

*Magister Ordinis*

Fr. VENTURINUS ALCE, O.P.

*Adsistens generalis*

Prot. 50/85/310



SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS  
ET CULTU DIVINO

DECRETA

**Ordinis Prædicatorum**

I

Prot. CD 671/76

Libros liturgicos instauratos Liturgiæ Romanæ in usum accipere curavit Ordo Prædicatorum ad maiorem uniformitatem assequendam cum Ecclesia locali in qua eiusdem Ordinis communitates inveniuntur. Opportunum tamen visum est quædam elementa magis propria in textibus vel ritibus servare, utpote quæ peculiarem thesaurum traditionis liturgicæ constituunt, ad mentem principii de debito honore tribuendo Ritibus particularibus, a Concilio Vaticano II (Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 4) solemniter statuto.

Sacra autem Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, utendo facultatibus sibi a Summo Pontifice PAULO Papa VI tributis, concedit ut elementa infra recensita, a Capitulo generali Ordinis Fratrum Prædicatorum indicata et a Magistro generali eiusdem Ordinis pro debita approbatione proposita, litteris die 4 iunii mensis 1976 datis, servari et adhiberi valeant a Fratribus, Monialibus necnon Sororibus Ordinis Prædicatorum, attentis animadversionibus ab eadem Sacra Congregatione allatis.

Mens autem huius concessionis est, ut hæc elementa propria iuxta preces ad libitum adhiberi valeant, de iudicio singularum communitatum, attentis bono spirituali et profectu pastorali tum ipsius communitatis tum fidelium qui ecclesias Ordinis frequentare solent.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 25 iulii 1977.

IACOBUS R. Card. KNOX  
*Præfectus*

A. INNOCENTI  
*a Secretis*

II

Prot. CD 1590/77

Instante Reverendo Patre Antonino Abate, Ordinis Fratrum Prædicatorum Procuratore generali, litteris die 7 octobris 1977 datis, vigore facultatum huic Sacræ Congregationi a Summo Pontifice PAULO VI tributarum, textus Proprii Missarum et Ordinis Lectionum Missæ necnon textus Proprii Liturgiæ Horarum, lingua latina exaratos et huic Decreto adnexos, perlibenter probamus seu confirmamus.

In textibus imprimendis mentio fiat de confirmatione ab Apostolica Sede concessa. Eorundem insuper textuum impressorum duo exemplaria ad hanc Sacram Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 18 februarii 1978.

IACOBUS R. Card. KNOX  
*Præfectus*

Vergilius Noë  
*a Secretis a.*

## III

Prot. CD 998/80

Instante Reverendo Patre Raphaelē Moya, Ordinis Fratrum Prædicatorum Procuratore generali, litteris die 28 maii 1980 datis, vigore facultatum huic Sacræ Congregationi a Summo Pontifice IOANNE PAULO II tributarum, Missas proprias Beatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum, iuxta calendarium particulare ad usum provinciarum eiusdem Ordinis, lingua latina exaratas et huic Decreto adnexas, perlibenter probamus seu confirmamus.

In textu imprimendo mentio fiat de confirmatione ab Apostolica Sede concessa. Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hanc Sacram Congregationem transmittantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 7 novembris 1980.

IACOBUS R. Card. KNOX

*Præfectus*

Vergilius NOË

*a Secretis a.*

## IV

Insuper et alia Decreta nobis concessa fuerunt pro sequentibus elementis:

- 10 maii 1977 (Prot. CD 670/76): conceditur ut celebratio S. Ioannis Macias die 18 septembris gradu memoriæ obligatoriæ, et celebratio B. Raymundi a Capua die 5 octobris

gradu memoriae ad libitum, in Calendarium Ordinis inserantur.

Eodem die confirmatur Calendarium particulare ad usum Provinciarum Ordinis.

- 7 octobris 1983 (Prot. CD 194/83): confirmantur textus Præfationis propriae in festo B.M.V. a Rosario et in memoria de Sanctis et Beatis Ordinis nostri.
- Prot. CD 524/83: conceditur approbatio renovationis rituum et textuum anni liturgici (cf. Prot. CD 671/76).
- Novissime (Prot. CD 1165/83) conceditur inscriptio B. Ioannis de Fæsulis seu B. Angelici, presbyteri, in Calendario Ordinis nostri die 18 februarii, gradu memoriae ad libitum peragendæ, et insuper approbantur textus in celebratione Missæ et Liturgiæ Horarum adhibendi.

# LITTERÆ PROMULGATIONIS



FR. VINCENTIUS DE COUESNONGLE  
TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM  
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS  
OMNIBUS FRATRIBUS, MONIALIBUS ET SORORIBUS  
CETERISQUE EIUSDEM ORDINIS SODALIBUS  
SALUTEM AC DEI VERBI AUSCULTATIONEM  
CUM GRATIARUM ACTIONE

1. VITAE ORATIONIS et liturgiæ suæ componendæ, Ordo Prædicatorum a primis diebus suis atque in omni ætate iugiter consuluit, simul ac libris quibus divino cultui celebrando opus foret.

Prototypus liber, qui ab Humberto de Romanis nomen repetit, anno 1256 quoddam corpus organicum nostræ liturgiæ præbuit multoque valuit beneficio, non solum pro unaquaque communitate Ordinis nostri et vita spirituali fratrum, sed etiam pro aliis quarum apostolicum munus nostro simile agnoscitur.

## I

### VARIÆ MISSALIS O.P. REFORMATIONES

2. Missale Ordinis, quoad textus et ritus suos, idem fere perduravit usque ad nostram ætatem. Ab initio sæculi autem XVII, una ex præcipuis mutationibus facta est cum, ob pastorales rationes, adhibitum fuit *Lectionarium Missarum iuxta Ritus Romanum*<sup>1</sup>.

\* Index siglorum et abbreviationum invenitur infra, p. XLV.

<sup>1</sup> Cf. W.R. BONNIWELL, *A History of the dominican Liturgy 1215-1945*, New York 1945<sup>a</sup>, p. 319 [Vide: *Acta Capitulorum Generalium O.P.*, ed. B.M. Reichert, vol. VI, Romæ 1902, p. 56].

Liturgici anni ritus, Prototypi libri instar, pæne immutati traditi sunt usque ad instauratum, anno 1955, liturgicum Ordinem Hebdomadæ Sanctæ, qui reapse cunctos ritus Latinæ Ecclesiæ affecit<sup>2</sup>.

3. Instauratio liturgica, quam Concilium Vaticanum II statuit, Ordini nostro, quemadmodum et aliis, novas rerum condiciones intulit, præsertim quia linguas vulgares adhibendas permisit et cuiusque loci culturæ sacras actiones magis aptandas præsensit.

Quædam nostra Capitula generalia ad huiusmodi problemata animum applicaverunt<sup>3</sup>. Capitulum vero de River Forest, anno 1968 celebratum, petivit adoptionem Ritus Romani instaurati « retentis pro posse nonnullis elementis propriis »<sup>4</sup>. Quod, primo, Missale Romanum respiciebat<sup>5</sup>, deinde Liturgiam Horarum<sup>6</sup>.

4. Post receptum Missale Romanum, quæstio de Ordine Missæ nobis proprio servando, considerari adhuc poterat. Tandem statutum fuit ut adoptaretur novus Ordo Missæ Romanus<sup>7</sup>, in quo ceterum sæpe similitudo notabatur cum nostro antiquo comparanda.

Aliæ petitiones factæ sunt ut Ordini nostro adaptarentur quædam partes Ritualis, præcipue quoad liturgiam infirmorum et defunctorum<sup>8</sup>.

<sup>2</sup> Cf. MO M. BROWNE, « Triduo ante Pascha et Dominica Resurrectionis. Innovationes faciendæ in Ritu O.P. » [Prot. n. 26/56, 6 mart. 1956], ASOP 32, 1956, pp. 297-301; *Normæ per Hebdomadam Sanctam servandæ in Ritu S.O.P.*, ed. M. Browne, Typis Polyglottis Vaticanis, 1957.

<sup>3</sup> Cf. ACG 1965, nn. 283, 289; ACG 1968, n. 58; ACG 1971, nn. 132, 134, 135; ACG 1974, nn. 170, 171, 172. Vide: ASOP 43, 1977, pp. 193-275.

<sup>4</sup> Cf. ACG 1968, n. 58.

<sup>5</sup> Cf. SCCD, « De Missali Romano et novo calendario pro O.F.P. » [Decr., Prot. CD 98/69, 2 iun. 1969], ASOP 39, 1969, pp. 250-251.

<sup>6</sup> Cf. ACG 1971, n. 134; SCCD, « De Officio divino denuo instaurato » [Decr., Prot. CD 1725/71, 7 oct. 1971], ASOP 40, 1971, p. 231.

<sup>7</sup> Cf. A. DIRKS, « De novo Ordine Missæ. Relatio Consilio generali extraordinario oblata », ASOP 39, 1970, pp. 572-574.

<sup>8</sup> Cf. ACG 1974, n. 170: « Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur "Ordo Unctionis Infirmorum" et "Ordo Exsequiarum" », ASOP, 43, 1977, pp. 143-155; animadversiones allatæ a SCSCD [Prot. CD 669/76], pp. 156-159.

Cum autem Ordo examinare debeat diversos aspectus vitæ suæ liturgicæ, aliæ quoque partes nostri antiqui Ritus persimili iudicio perspiciendæ erunt.

5. Hæ nostræ Litteræ promulgant et tradunt toti Ordini sive Missale sive Lectionarium, quorum condicio — utpote librorum — ecclesiologica et iuridica pro nobis nova est.

Quod volumen, veluti Missalis Romani Supplementum, cognitionem eiusdem expostulat Institutionis generalis necnon et praxim Ordinis Missæ una cum usu generali diversarum eius partium. Ceterum, editio typographica eadem est.

Missale nostrum attamen continet simul quasdam partes nostræ traditionalis Liturgiæ et Proprium Sanctorum ex novo reductum. De quo infra sermo erit.

6. Hæ Litteræ aliud etiam sibi volunt. Etenim bene visum est quædam addere<sup>9</sup> meditanda super Eucharistia et valore eius celebrationis pro nostris communitatibus, ac principali munere quo Dei verbum apud nos fungi debet in quacumque liturgica celebratione.

## II

### PRÆSENTATIO HUIUS VOLUMINIS

7. Ut Introductio generalis animadvertit<sup>10</sup>, volumen hoc colligit ex una parte quod ad Missale pertinet, ex alia vero quod ad Lectionarium refertur.

Editio ista typica habenda est, quia omnia elementa nostræ approbationi proposita sunt et ab Apostolica Sede deinde confirmata<sup>11</sup>, etiamsi, pluribus rationibus, omnia uno tantum volumine collecta fuerunt.

<sup>9</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, 7 nov. 1980, LHOP, pp. IX-XXVIII.

<sup>10</sup> Infra, pp. XXIII-XXIV, n. 2, 4.

<sup>11</sup> Cf. diversa decreta, p. v.

### *Proprium de Tempore*

8. Circa Proprium de Tempore, Ordo noster servabat in suo Missali particulares ritus cum elementis alicuius momenti, necnon opportunas indicationes pro modo agendi communitatibus choralibus proprio.

Quoddam inventarium et studium comparatum horum elementorum seriem aliquam exhibuerunt, ab Ordine approbatam<sup>12</sup>, et a S. Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino confirmatam, collatis renovationis rationibus<sup>13</sup>.

Deinde magnum opus comparandi huiusmodi ritus cum Missali Romano aliisque traditionibus liturgicis, iuxta peritorum sententias, effecit ut ritus renovarentur. Itaque, necessariis accommodationibus peractis, ritus isti plane inseruntur in his quæ ad libitum in Missali Romano proponuntur et sine dubio locupletius patrimonium constituunt<sup>14</sup>.

9. Qui varius modus agendi et orandi nostris communitatibus oblati, dignus est qui bene consideretur. Pondus enim rituum innovatorum necnon animadversiones super muneribus cuiusque ministri, super actionibus choralibus et relatione cum vita regulari, apte favebunt mysteriis per annum liturgicum celebrandis.

Plures textus vel preces, hausta e nostra traditione aut cum eadem composita, quodammodo locupletiores faciunt Missalis Romani euchologiam. Ceterum, cunctæ innovationes aut collationes istæ nobis sunt divitiæ doctrinales et spirituales, quæ nostram religiosam et apostolicam vitam nutriant et foveant.

<sup>12</sup> Cf. ACG 1974, n. 171: « De quibusdam elementis peculiaribus Ritus nostri », ASOP 43, 1977, pp. 134-138.

<sup>13</sup> Cf. SCSCD, « De elementis peculiaribus Ritus O.P. » [Decr., Prot. CD 671/76, 25 iulii 1977], ASOP 43, 1977, p. 133 (supra, p. v) et ad nn. 1-30, pp. 138-140. — ASOP 43, 1977, pp. 193-275; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 334-417, 463-489.

<sup>14</sup> Cf. ACG 1974, n. 171: « Nota prævia », ASOP 43, 1977, p. 134; commentarium: ASOP 43, 1977, pp. 207-211 et *Notitiæ* 14, 1978, pp. 348-351.

### *Proprium de Sanctis*

10. Missale nunc editum formularum copiam exhibet idonearum ad commemorandos Sanctos vel Beatos, qui in *Calendario totius Ordinis* aut in *Calendario ad usum Provinciarum* sunt inscripti.

Iam recolimus quidnam nobis velit sanctorum pius cultus in nostra vita dominicana<sup>15</sup>. Maior formularum pars quæ habentur in hac Missalis sectione pertinet ad euchologiam, scilicet orationes, præfationes et sollemnes benedictiones.

Istiusmodi textus antiqua formularia nostra sapiunt aut ex novo redacta præbent, quæ nos adiuvant ad recte interpretandam figuram Sanctorum nostrorum simulque ad mensuram habendam vere charismaticam eorum actuum<sup>16</sup>. Præfationes autem, pro sua indole, Sancti Spiritus actionem illustrant in ipsorum vita et gratias agendas nobis præstant pro missione Ordinis.

### *Lectionarium de Sanctis*

11. Lectiones in hoc Lectionario traditæ seu ibi indicatæ secundum normas traditas selectæ sunt: sive ut adhibeantur in nostris Missis propriis, sive ut favere possint orationi peculiarium cœtuum<sup>17</sup>.

Lectionarii huius auxilio, Dei verbi auscultatio et occursum fiunt repetendo primum vitam maiorum nostrorum in fide et in famulatu Ordinis. Siquidem in mores suos Evangelium traduxerunt, modo et vi sibi propriis, nosque impellunt ut multiformem ad sanctitatem vocationem perspiciamus. Dei verbum numquam videtur directum et immediatum responsum nostris præbere quæsitis: ipsum enim semper illa superat nosque ad illuminationem disponit divinæ revelationis in universum acceptæ.

<sup>15</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, nn. 10-21 (LHOP, pp. XVI-XXII).

<sup>16</sup> Cf. *Orationes*: S.P. Dominici, p. 176; B. Iordani de Saxonia, p. 153.

<sup>17</sup> Cf. infra, « Introductio generalis », nn. 34-43, pp. XXXIII-XXXV.

Lectioarium de Sanctis tamen non est inconsiderate adhibendum, quia oportet præ mente habere momentum Lectionarii ferialis, utpote qui, suo non intermisso cursu, mysteriorum salutis summam intimius nos vivere doceat<sup>18</sup>.

### *Indicationes pro cantu*

12. In Appendice indicationes quædam pro cantu inveniuntur simul cum nonnullis melodiis. Sectio hæc, ad mentem Ordinis Cantus Missæ concinnata, faciliorem reddet usum nostrorum librorum et suggeret etiam conamen seligendi textus idoneos pro adaptationibus. Impressio elementorum musicorum saltem ex parte satisfacit petitioni Capituli generalis anni 1980, ut « edatur quædam selectio cantuum et orationum maioris momenti in historia Liturgiæ dominicanæ, ne paulisper oblivioni tradantur et pereant »<sup>19</sup>.

## III

### DEI VERBUM ET ACTIO EUCHARISTICA

13. Fundamentalis vitæ intentio Ordini Prædicatorum exstat, Eucharistiam esse in Ecclesia vinculum fraternæ caritatis et principem fontem ardoris apostolici<sup>20</sup>. Eapropter addecet totam huiusmodi amplitudinem et gravitatem exquirere.

### *Relatio ad Dei Verbum*

14. Proprium Ordinis renovatum, sive quoad Liturgiam Horarum sive quoad Missas proprias, Lectionarium ac varias Ritualis partes, clariore luce propositum hoc nos edocet: Ordinem Prædicatorum quoad communitates et singulos, vocatum esse ad celebrandum, investigandum et nuntiandum Dei verbum<sup>21</sup>.

<sup>18</sup> Cf. IGMR, nn. 316 c), 319; SC, n. 51.

<sup>19</sup> ACG 1980, n. 61.

<sup>20</sup> Cf. LCO, nn. 3 § I, 59 § I, 105 § II; LCM, n. 82; ACG 1971, n. 128, p. 77; ACG 1974, n. 166, pp. 103-104; ACG 1980, n. 52, pp. 37-38.

<sup>21</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, *Le courage du futur. Messages aux Dominicains* (Problèmes de vie religieuse, 41), Paris 1980, pp. 101-102; « Introductio generalis », n. 73 (LHOP, p. LXI, notam 104).

Quæ relatio eo afficiebat primas Fratrum progenies ut, apostolo Paulo præeunte (Rom 15, 16), prædicatio ex antonomasia videretur potissimum laudatio divina<sup>22</sup>.

15. Quæ intentio, indita in contextu ecclesiologico nostri temporis<sup>23</sup>, et plene cohærens comprehensioni divinæ Revelationis utpote verbis ac gestis proditæ<sup>24</sup>, hodie pergit summopere valere.

Religiosæ vitæ propheticum munus præcipue nostras communitates nostramque prædicationem afficere debet<sup>25</sup>. In eo enim repetitur necessitudo missionaria ministerii nostri, sicut et ipsius relatio ad diversas culturæ formas. Nostræ ætatis homines, suimet conscii, suo in itinere sibi occurrentes evangelicæ veritatis testes invenire debent.

Quo tales deveniamus, Verbi scilicet seu Evangelii viri, congruit quidem ut viri fideles simus, qui Evangelium congruo ministerio et obligationibus vivere valeamus; qui fidem profiteri apti simus eamque confiteri contendamus et in gratiarum actione et in sacrificio.

### *Eucharistia et communitas*

16. Ob profundiolem traditionis cognitionem et vividiolem vitam liturgicam, ipsamet Eucharistia eiusque celebratio quodam in motu seu progressionem fieri percipiuntur: motu videlicet gratias agendi, motu paschalis Cenæ commemorandæ, vel et reditus omnium in Deum quæ intra ipsum Christi memoriale continentur<sup>26</sup>.

Itaque, in Eucharistia conscientia spiritualis Ecclesiæ culmen suum attingit. Dominicum verbum, dum permittit ut grates

<sup>22</sup> HUMBERTUS DE ROMANS: «... valde est officium excellens in quo glorificatur Deus ... sed per prædicationem plus et melius glorificatur Deus ..., quia per tale officium... glorificatur, ... non solum ore, sed ore, corde et opere » (*Opera de vita regulari*, ed. J.-J. Berthier, vol. II, Romæ 1889, pp. 31-32; vide etiam *ibid.*, pp. 432-433).

<sup>23</sup> Cf. SC, n. 9; OLM, « Prænotanda », nn. 24-27 (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 370-372).

<sup>24</sup> Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, nn. 2-10 (AAS 58, 1966, pp. 818-822).

<sup>25</sup> Cf. ACG 1980, n. 17 (pp. 16-18).

<sup>26</sup> Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, nn. 10, 11, 34 (AAS 57, 1965, pp. 14-16, 40). — S. THOMAS DE AQUINO, *Summa Theologiæ* I, q. 2, *prol.*: *Oratio, Off. ss. Corp. et Sang. Dom., Opusc. Theol. II*, Marietti 1972<sup>1</sup>, p. 276.

agamus, idem est quod, simul cum oratione, omnia sanctificat<sup>27</sup>. Ex quo recte persuasum habemus quomodo vita christiana, maxime autem vita religiosa, eucharistica dimensione constare debeant<sup>28</sup>.

17. Concilium Vaticanum II in pristinum valorem restituit structuram « communitariam » et hierarchicam cuiuslibet celebrationis<sup>29</sup>, actuosam participationem fidelium atque, latiori sensu, communitatem ipsam, utpote subiectum liturgicæ actionis. Concelebratio unitatem sacerdotii exprimit pariterque plenum Ecclesiæ aspectum evocat; simili modo, sacra communio sub duplici specie, quotiescumque fas est, commendanda, magni faciendæ videtur ut natura Eucharistici sacrificii altius percipiatur.

Obligationi Horas et Missam conventualem celebrandi adstrictæ<sup>30</sup>, communitates nostræ rursus intellegere debent quid sibi velit istiusmodi coadunatio, sive quoad relationes æque æstimandas cum Ecclesia locali, sive quoad ipsas communitates et totam Familiam dominicanam.

18. Unicuique nostrum Apostoli monitum iniungitur: « Ne deseramus congregationem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam »<sup>31</sup>.

Nobis quoque liturgica adunatio locus fit ubi Spiritus efflorescit<sup>32</sup>, fides nostra probatur et, cum Ordinis festos dies agimus, dominicanum charisma specialiter profiteamur. Et locus quoque præstatur quo fraternam reconciliationem perficiamus<sup>33</sup>.

<sup>27</sup> Cf. 1 Tim 4, 4-5; Mc 8, 7; Lc 9, 16.

<sup>28</sup> Cf. « Adnotationes complementares. De celebrationum nostrarum liturgicarum significatione », nn. 42, 45 (LHOP, pp. 21-22).

<sup>29</sup> Cf. SC, nn. 26-32; IGMR, nn. 1-4, 7, 14, 257.

<sup>30</sup> Cf. LCO, nn. 58-63; LCM, nn. 82, 85-87; ICLOP, nn. 2, 3, 4, 9, 11, 21; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, nn. 6-9 (LHOP, pp. XII-XVI).

<sup>31</sup> Hebr 10, 25. Vide etiam: Hebr 12, 14-29; 13, 1-9.

<sup>32</sup> Cf. S. HIPPOLYTUS, *Traditio Apostolica*, 35 (Sources Chrétiennes, n. 11, p. 118); S. IRENÆUS, *Adversus Hæreses* III, 24,1 (Sources Chrétiennes, n. 211 pp. 472-475). — « Preces eucharisticæ II et III » (MR, n. 107, p. 458; n. 114, p. 463).

<sup>33</sup> Cf. LCO, nn. 59 § I, 1 § VII, 105 § II; LCM, nn. 1 § V, 40 § II, 82; ACG 1971, n. 128 (pp. 77-78); ACG 1974, n. 166 (p. 103); MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, n. 9 (LHOP, p. xv).

19. **Exempla sancti Dominici Missam celebrantis<sup>34</sup>, sicut et sancti Thomæ de Aquino operam dantis in conscribendo Officio Corporis Christi, nos impellunt ad inquirendos modos et gestus symbolicos quibus fidem ac venerationem ostendamus, coram tantorum mysteriorum maiestate.**

**Missionarium opus a tot fratribus et sororibus nostris peractum et adhuc præsens, nos admonet Regni Dei proclamationem et evangelizationem, pariter ac humanæ promotionis intentum, efficere ut ineamus in laudem et gratiarum actionem tam pro creatione quam pro redemptione. Quibus exemplis iterum erudimur panem vivum a Christo delatum insuper postulare ut panis frangatur pro omnibus hominibus<sup>35</sup>.**

**Demum, secrete orandi mos ille, quem Constitutiones nostræ et traditio nostra suggerunt, optime aletur hac gratiarum actione quæ e Missæ celebratione promanat, præsertim vero e Christi corporis et sanguinis sumptione<sup>36</sup>.**

### *Symbolismus et celebratio*

20. **Dei verbi momentum et maiores indicationes nuper memoratæ circa Eucharistiam, in ipso actu celebrationis specialem sortiuntur effectum. Sicut adnotatum est<sup>37</sup>, actio liturgica totum quoddam locuples agnoscitur, ubi insimul sociantur communitas et mysterium, gestus et verba, res humana et præsentia divina.**

21. **Eucharistica celebratio est effectio mysterii salutis mediante actione culturali<sup>38</sup>.**

<sup>34</sup> Cf. *Acta canonizationis S. Dominici*, nn. 3, 21, 38, 46 (MOPH 16, pp. 124, 140, 156, 165); IORDANUS DE SAXONIA, *Libellus de principiis O.P.*, n. 105 (MOPH, 16, p. 75). — *De novem modis orandi S. Dominici*, nn. IV et V (ed. I. Taurisano, ASOP 15, 1922, pp. 99-100).

<sup>35</sup> Cf. IOANNES PAULUS II, *Nuntius televisificus iis qui XLII Eucharistico ex omnibus Nationibus conventui [Lourdes] interfuere missus*, die 21 iulii 1981 (AAS 73, 1981, pp. 547-552; ASOP 45, 1981, pp. 165-170).

<sup>36</sup> Cf. LCO, nn. 67 § I, 187 § III; LCM, n. 83.

<sup>37</sup> Cf. « Adnotationes complementares. De celebrationum nostrarum liturgicarum significatione » (LHOP, pp. 3-22).

<sup>38</sup> PAULUS VI, *Const. Apost. Missale Romanum*, 3 apr. 1969 (MR, pp. 11-16); IGMR, 1-6, 7, 8, 14, ... 241, 257, 283, 313. — IOANNES PAULUS II, *Epist. ad universos Ecclesiæ Epis-*

Nostra igitur liturgia prædita esse debet illa dimensione congruente et symbolica de qua loquitur *Institutio generalis Missalis Romani*<sup>39</sup>, necnon *Indicationes* ab Ordine datæ<sup>40</sup>.

Signanter expedit in mentem revocari opportunitas distribuendi varia ministeria<sup>41</sup>, ita ut in liturgia communitates et fideles pluribus muneribus revera fungantur. Hæc munera expleri possunt etiam a monialibus, sororibus aliisque fidelibus, iuxta normas vigentes. Suadetur, igitur, ut habeatur congruus numerus ministrorum (qui sunt imprimis diaconus, deinde acolythus, lector, cantor, etc.)<sup>42</sup>. Si diaconus deest, quædam ipsius munera uni e concelebrantibus committenda sunt.

22. Alius ab alio gradus bene servetur inter dies et festivitates liturgicas; item, valde opportunum erit ut seligantur convenientes cantus iuxta naturam unius vel alterius celebrationis et secundum regulas quas traditio nostra secum fert. Quæratursimul socianda fidelium opera, etiam cum de gestibus symbolicis agitur.

23. Memorantes denique quæ diximus de momento Liturgiæ in vita nostra, novum hoc Missale et Lectionarium promulgamus pro toto Ordine. Volumus ut ab omnibus fratribus et sororibus recipiatur, tamquam unitatis signum inter fratres Ordinis ceterosque Familiæ dominicanæ sodales et tamquam fons vitalitatis cotidie novæ: siquidem per diversitatem linguarum una eademque oratio ad Deum dirigatur.

Hanc Missalis et Lectionarii editionem, latina lingua redactam, typicam declaramus pro toto Ordine et qua talem volumus ut acceptetur ab omnibus qui Ordinis Calendario utuntur.

copos de SS. Eucharistiæ mysterio et cultu *Dominicæ Cenæ*, 24 febr. 1980 (AAS 72, 1980, pp. 113-148); SCSCD, Instr. de quibusdam normis circa cultum mysterii Eucharistici *Inæstimabile donum*, 3 apr. 1980 (AAS 72, 1980, pp. 331-343).

<sup>39</sup> Cf. MR, pp. 17-92.

<sup>40</sup> Cf. « Indicationes quædam pro Celebrationibus Liturgicis in Ordine Prædicatorum » (1974) [ICLOP], in ASOP 43, 1977, pp. 160-168 et in LHOP, pp. LXXV-LXXXV.

<sup>41</sup> Cf. ICLOP, n. 7.

<sup>42</sup> Cf. IGMR, nn. 58-73: Cap. III « De officiis et ministeriis in Missa » (MR, pp. 43-46).

24. **Priores Provinciales rogamus ut versionem in linguam propriæ regionis curent, secundum normas ab Ecclesia traditas de quibus fit mentio in Proprio Officiorum O.P. anno 1982 publici iuris facto<sup>43</sup>. Quæ versiones, ab Ordinis Magistro approbatæ, ab eo confirmationi inde S. Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino subiciendæ sunt<sup>44</sup>.**

25. **Valde in Domino lætamur quod Missale O.P. in lucem prodit anno nondum revoluto quo Ioannes Paulus II universo Prædicatorum Ordini concessit liturgicum cultum in honorem B. Ioannis de Fiesole, B. Angelici nuncupati, cuius vita sacerdotalis et mirabilis opera pictoria cælestem sapiunt et exprimunt divinam liturgiam<sup>45</sup>.**

**Datum Romæ, ad S. Sabinæ, die 15 mensis Augusti, Anno Sancto 1983, in sollemnitate Beatæ Mariæ Virginis in cælum assumptæ.**

**Fr. Vincentius DE COUESNONGLE, O.P.  
Magister Ordinis**

**Fr. Vincentius ROMANO, O.P.  
Prior Provincialis Siciliæ**

<sup>43</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, *Litt. prom. Orationi et Prædicationi*, n. 27 (LHOP, p. xxvi); « *Introductio generalis* », nn. 72-79 (LHOP, pp. LX-LXIII).

<sup>44</sup> Cf. « *Consilium* », *Instr. De popularibus interpretationibus Propriorum Diocesium et religiosarum Familiarum*, 1 iunii 1965, n. 7 (EDIL n. 403). — SCSCD, *Instr. De Calendariis particularibus atque Missarum et Officiorum Propriis recognoscendis*, 24 iunii 1970 (EDIL, nn. 2093-2143).

<sup>45</sup> Cf. IOANNES PAULUS II, *Litteræ Apostolicæ motu proprio datæ quibus toti Ordini Fratrum Prædicatorum cultus liturgicus fratris Ioannis de Fæsulis cum titulo « Beati » conceditur, Qui res Christi gerit*, 3 oct. 1982.

# **INTRODUCTIO GENERALIS**

## PROCEMIUM

1. Litteræ promulgationis Proprii Officiorum necnon Introductio generalis et Adnotationes complementares<sup>1</sup> mentem revocaverunt et methodum quibus ad novos libros liturgicos Ordinis parandos adlaboratum fuit iuxta orientationes Concilii Œcumenici Vaticani II et indicationes Apostolicæ Sedis.

Quapropter Introductio ista immediate illustrabit quæ ad structuram Missalis O.P. præcipue pertinent. Insimul indicationes aliquas evocabit ad aptationes Missalis in linguis vernaculis utiles.

2. Usus causa uno hoc volumine continentur Sacramentarium-Antiphonale et Lectionarium Missarum propriarum Ordinis nostri. Hoc tamen ita factum est ut mens liturgiæ instauratæ servaretur quæ, maxime pro libris altaris, hæc duo distingui vult, quippe quæ ad diversa ministeria pertineant:<sup>2</sup> quapropter duæ distinctæ sectiones in eodem libro constitutæ sunt.

3. Hoc Missale O.P. velut Supplementum præbetur ad Missale et Lectionarium Romanum, sive quoad elementa quædam per annum liturgicum sive quoad Missas proprias sanctorum vel beatorum Ordinis nostri.

Eodem ergo libro sequentia continentur:

- sectio introductoria, quæ constat Litteris promulgationis Magistri Ordinis, præsentī Introductione, Calendario Ordinis necnon elenco siglorum vel abbreviationum adhibitaram;
- sectio quæ « Proprium de Tempore » inscribitur, ubi inveniuntur, forma renovata, elementa Ritus Ordinis pro quibusdam temporibus liturgicis;
- « Ordo Missæ », cum quibusdam Præfationibus, eadem forma etiam typographica qua Missale Romanum (ed. typica altera 1975) est præditum;

\* Index siglorum et abbreviationum invenitur infra, p. XLV.

<sup>1</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, 7 nov. 1980 (LHOP, pp. x-xxvii); « Introductio generalis » (*ibid.*, pp. xxix-lxix); « Adnotationes complementares. De celebrationum nostrarum liturgicarum significatione » (*ibid.*, pp. 1-22).

<sup>2</sup> Cf. CP, nn. 39, 40, 41 (EDIL, nn. 2133,2134); IGMR, nn. 34, 80; OLM, « Prænotanda », n. 113 (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 401-402).

- sectio quæ « Proprium de Sanctis » inscribitur, una cum parte complementari elementa præbente quæ ex Communibus vel aliis sectionibus Missalis (ut Missæ ad diversa, votivæ, etc.) depromuntur;
- « Lectionarium » pro Missis O.P. propriis, cuius forma typographica similis est formæ Lectionarii Romani;
- sectio quæ « Appendix » dicitur, « Ordinem Cantus Missæ » continens necnon specimina quædam melodiarum quæ ex libris in Ordine usitatis excerpta sunt;
- postremo « Indices » varii, elementa Missalis necnon Lectionarii complectentes.

4. Hæc forma vel structura Missalis et Lectionarii O.P., quæ pro adiunctis assumi oportuit, non ut unum exemplum necessarium pro aptationibus in linguis vernaculis præbetur.

Nota « typica » huius editionis non pertinet ad præsentationem omnium elementorum uno in volumine collectorum, sed tantum ad selectionem, approbationem et confirmationem eorundem elementorum.

Quapropter editiones in linguis vernaculis<sup>3</sup> aliam præsentationem huius libri, præsertim pro Lectionario, parare poterunt. Aptationes tamen communitatibus nostris præbere debent, translata vel legitime aptata, omnia elementa quæ hoc in volumine typice eduntur.

5. Hæc Introductio generalis varias partes huius *Missalis et Lectionarii O.P.* illustrat, ut eorum structura et vis explicentur.

Indicationes vero quæ hac Introductione præbentur, in editionibus in linguis vernaculis pro opportunitate per diversa volumina distribui poterunt.

## I

### PROPRIUM DE TEMPORE

6. Ordo Prædicatorum, qui peculiarem traditionem liturgicam habet, adoptans Missale Romanum, retinere studuit, secundum constitutionem liturgicam *Sacrosanctum Concilium*<sup>4</sup> et Capitula gene-

<sup>3</sup> Cf. « Consilium », Instr. *De popularibus interpretationibus Propriorum Diocesum et religiosarum Familiarum*, 1 et 2 iun. 1965 (EDIL, nn. 396-404); Id., Instr. *De interpretatione textuum liturgicorum*, 25 ian. 1969 (EDIL, nn. 1200-1242); CP, nn. 39-47 (EDIL, nn. 2132-2140); OLM, « Prænotanda », nn. 70-71, 83, 111-118 (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 385, 389, 401-402).

<sup>4</sup> Cf. SC, nn. 4; 3, 37, 38 [87, 101, 123]; SRC, Instr. *Ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam Inter Œcumenici*, 26 sept., n. 9 (EDIL, n. 207). — MO A. FERNÁNDEZ, « Litteræ de Sacra Liturgia » [Prot. N. 7-64],

ralia,<sup>5</sup> elementa vere peculiaria Missalis, præsertim pro anno liturgico. Renovatio exinde promanavit quæ præ oculis habet indolem propriam cœtuum liturgicorum (conventuum Fratrum, monasteriorum Monialium, communitatum Sororum, cœtuum sodalium Fraternitatum laicalium) et orientationes liturgiæ instauratæ necnon conditiones mundi huius temporis.

#### DE COMPOSITIONE ATQUE USU HUIUS SUPPLEMENTI

7. Elementa quæ in hoc Supplemento O.P. continentur, legitime probata,<sup>6</sup> varie se offerunt.

Cum existerent textus typici traditionis nostræ, vel euchologici vel cantu ornati, qui sufficere possent, integra formularia composita sunt, transcriptis insuper aliquibus elementis ex Missali Romano vel ex aliis fontibus, ne alterum librum adhibere sit necesse. Hoc fit pro Præsentatione Domini, Feria quarta Cinerum, Dominica in Palmis de Passione Domini, processionibus Ascensionis Domini et Assumptionis B. Mariæ Virginis.

Cum in aliqua celebratione liturgica, verbi gratia in Feria sexta in Passione Domini, una tantum pars Ritus nobis sit peculiaris, hæc editur; cetera vero elementa ex Missali Romano sumuntur, sed etiam in editione nostra notantur. Semper autem quædam indicationes pro choro præbentur de modo se habendi in celebratione.

Demum, pro aliis celebrationibus, sicut pro Feria quinta in Cena Domini et Vigilia paschali, Supplementum hoc servat, ex moribus nostris, orientationes aliquas ad usum choralem Missalis Romani. Utique tamen integra formularia sunt edita, præter aliqua elementa quæ ad ministros alios quam presbyterum pertineant.

8. Per instaurationem horum peculiarium elementorum necessariis quoque emendationibus provisum est sive circa ministrorum numerum et munera, sive circa ritus vel textus aptandos.

In his instaurandis, præ oculis habitæ sunt præsertim orientationes a Missali Romano allatæ pro quibusdam celebrationibus (v.g. pro Feria quarta Cinerum, Vigilia paschali, etc.) vel pro quibusdam partibus celebrationis (v.g. pro introitu sollemni vel simplici, etc.).

ASOP 36, 1964, pp. 404-405; Id., « De adaptatione Ritus nostri ad Constitutionem liturgicam » [31 dec. 1964], ASOP 37, 1965, pp. 75-82.

<sup>5</sup> Cf. ACG 1965, n. 276 (pp. 122-124), n. 289; ACG 1968, n. 58; ACG 1971, n. 135; ACG 1974, n. 171; SCSCD, « De elementis peculiaribus Ritus O.P. » [Decr. Prot. CD 671/76, 25 iul. 1977], ad nn. 1-30, ASOP 43, 1977, pp. 138-140. — ASOP 43, 1977, pp. 193-275; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 334-417, 463-489.

<sup>6</sup> Cf. Decreta, supra p. v.

Labori recognitionis perutilia etiam fuerunt suggestiones ac experimenta Provinciarum et Monasteriorum Ordinis. Nonnumquam et novi textus proponuntur, qui ad hodiernam structuram rituum melius aptentur.

Sic ergo elementa antiqui Ritus nostri optime cohærent iis quæ in Missali Romano proponuntur ad libitum, eademque convenienter aptata contributionem vere actualem traditionis nostræ liturgicæ constituunt.<sup>7</sup>

9. Structura conventualis et diversitas communitatum, in quibus nostra liturgia celebrari solet, sollicitant nos ut ad determinatos ritus animum intendamus qui aptiore modo spiritum nostri Ordinis in liturgia exprimant.<sup>8</sup> Propterea præ oculis semper habere oportet indolem propriam cuiusque cœtus liturgici, atque aptiore modo exinde adhiberi varias possibilitates propositas in Missali Romano vel in hoc Supplemento.

Cavendum tamen est ne a priori eligantur sive elementa propria Ritus nostri sive alia. In quolibet casu perpendendum erit quid melius sit pro communitate et pro fidelibus, qui nostras celebrationes liturgicas participant.<sup>9</sup>

#### DE CONGRUO NUMERO MINISTRORUM

10. Maxima cura adhibenda erit in præparandis ac perficiendis celebrationibus liturgicis, ita ut fratres, moniales, sorores ac fideles omnes rite percipiant spirituales divitias et sensum symbolicum cuiusque actionis liturgicæ.<sup>10</sup> Quoad sollemnitatem ritus vel numerum mini-

<sup>7</sup> Cf. Textum documenti a Capitulo generali approbatum [ACG 1974, n. 171]: *De quibusdam elementis peculiaribus Ritus nostri*: « Sunt elementa Ritus nostri antiqui, quae, peractis aptationibus necessariis, apte inseri possunt inter ea quæ ad libitum proponuntur a variis libris liturgiæ instauratæ » (*Nota prævia*, ASOP 43, 1977, p. 134); MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Vitæ orationis*, 15 aug. 1983, n. 8, supra p. XII — Vide ASOP 43, 1977, pp. 207-211, 211-222; *Notitiæ* 14, 1978, 348-351, 351-364.

<sup>8</sup> Cf. LCO, n. 57; LCM, n. 1 § 4; ICLOP, nn. 2, 3, 8, 9; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, nn. 3-9 (LHOP, pp. x-xv); « Introductio generalis », nn. 14, 73, 80 (LHOP, pp. XXXVI, LXI, LXIII); « Adnotationes complementares », nn. 7, 8, 28, 29 (LHOP, pp. 5, 6, 16).

<sup>9</sup> Cf. « Nota prævia », cit. (ASOP 43, 1977, p. 134); SCSCD, Decr. Prot. CD 671/76, 25 iul. 1977, supra p. v.

<sup>10</sup> Cf. « Adnotationes complementares », nn. 3, 4, 5, 8, 16, 17, 20, 35, 37 (LHOP, pp. 3-4, 6, 10-11, 13, 19-20).

strorum, si opus fuerit, selectio fieri poterit quoad dispositionem locorum, opportunitatem cantandi, linguam liturgicam aptiorem pro diversis partibus ritus et textus, numerum ministrorum.<sup>11</sup>

11. Interdum, deficiente diacono, sacerdos assistens munere diaconi fungetur (monitiones pronuntians, Evangelium legens, altari assistens, etc.) ut celebratio maiore æquilibrio et apta varietate ministrorum peragatur.

Cum celebrationes nostræ sæpe a pluribus presbyteris concelebrentur, is qui præsidet celebrans principalis est dictus et de muneribus et loco concelebrantium facta est mentio. Pro Feria sexta in Passione Domini, ubi celebratio eucharistica proprie non peragitur, sed iuxta ritus nostros plures presbyteri possunt adesse, verba « sacerdos qui celebrationi præsidet » sunt adhibita.

12. Ad æquilibrium structuræ curandum, rubricæ formularia inferentes munus apud nos de more ad Priorem pertinens memorant verbis: « Prior vel celebrans principalis »; quin deinceps de Priore adhuc sermo resumatur.

Pro communitatibus Monialium vel Sororum, appellatio « Prior » intellegenda est de ipso sacerdote celebrante.

13. Ad ceteros ministros designandos qui ritibus adsunt — præter sacerdotem vel concelebrentes et diaconum — eadem nomina ac in Missali Romano sunt adhibita.<sup>12</sup> Vocabulum « acolythus », sensu formali præditum, non solet hic adhiberi in alio ampliore usitato sensu. In omnibus his denominationibus aptandis, eadem ratio adhibita est ac in consuetudinibus Ordinis recognoscendis relate ad Liturgiæ Horarum celebrationem.<sup>13</sup>

14. In Directorio pro celebrationibus liturgicis Ordinis aliqua de munere liturgico monialium et sororum inveniuntur, simul ac de conjunctione inter celebrationes et illarum vitam communem.<sup>14</sup> Nonnulla munera ministris assignata, his in ritibus, tribui possunt, mutatis mutandis, monialibus vel sororibus.<sup>15</sup>

Pro celebrationibus anni liturgici quæ processionem peragendam vel introitum sollemnem vel utique unitatem adstantium implicant,

<sup>11</sup> Cf. IGMR, nn. 58, 62-64, 65-73, 76, 82, 313; ICLOP, nn. 3-10; MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Vitæ orationis*, n. 21, supra p. XVII.

<sup>12</sup> Cf. IGMR, nn. 65-73.

<sup>13</sup> Cf. ICLOP, nn. 3, 5-7, 22-27; ORDO PRÆDICATORUM, *Directorium pro celebrationibus liturgicis*, Roma 1979: « Prænotanda », n. 24 a), p. 19. — Vide ASOP 43, 1977, pp. 263-267, 269.

<sup>14</sup> Cf. « Prænotanda », nn. 24 a) b) c), pp. 19-21.

<sup>15</sup> Cf. *ibid.*, n. 24 a), p. 19. — IGMR, n. 70.

normis generalibus Iuris asservatis, communitates monialium etiam orientationes considerent ab Ordinario loci datas ut ad liturgiæ celebrationem deveniatur quæ omnium participationem consequatur, exigentiis quidem communitatum contemplativarum servatis.<sup>16</sup>

15. Similiter opportunum erit ut alii fideles participant muneribus liturgicis quæ olim apud nos fratribus tantum assignabantur.

## II

### PROPRIUM DE SANCTIS

#### PRINCIPIA GENERALIA

16. In Missis propriis Sanctorum et Beatorum nostrorum præparandis et præsentandis, præ oculis habitæ sunt normæ liturgiæ instauratæ necnon Instructiones de Propriis recognoscendis.<sup>17</sup>

Observatæ sunt et traditio liturgica Ordinis nostri et pluralitas diversorum cœtuum liturgicorum, conventuum Fratrum, monasteriorum Monialium, communitatum Sororum, coadunationum sodalium nostrarum Fraternitatum laicalium ac reliquorum fidelium, etc.

Familiæ dominicanæ membra invenient in his textibus, tam « opulentis ex numeris et argumentis, renovationis vitæ eorum dominicanæ alimentum », « propter contactum magis directum cum aliis qui exemplaria nostra et intercessores in sequela sancti Dominici sunt ».<sup>18</sup>

#### DE CALENDARIO ET GRADU CELEBRATIONUM

17. Iuxta generales determinationes iuris communis<sup>19</sup> et petitiones nostrorum Capitulorum generalium,<sup>20</sup> Calendarium Ordinis celebrationes nostras cum cyclo liturgico generali harmonice componere nititur, duplicem sequens indicationum fontem: *Calendarium particulare pro toto Ordine* et *Calendarium particulare ad usum Provinciarum O.P.*<sup>21</sup> Sanctorum quidem memoria, iuxta facultatem a

<sup>16</sup> Cf. « Adnotationes complementares », nn. 34, 40 (LHOP, pp. 19, 21); LCM [ed. 1983], n. 88 bis.

<sup>17</sup> Cf. Bibliographia: « De Calendariis particularibus et Propriis » (LHOP, p. LXXI).

<sup>18</sup> Cf. ACG 1977, n. 61.

<sup>19</sup> Cf. CP, nn. 1-6 (EDIL, nn. 2094-2099).

<sup>20</sup> Cf. ACG 1965, n. 296; ACG 1971, nn. 130-134, 136; *Calendarium generale Ordinis* (in ACG 1971, pp. 113-114); ACG 1974, nn. 167-169; *Calendarium particulare [O.P.]* (in ACG 1974, pp. 200-202); ACG 1977, n. 61; ACG 1980, nn. 55, 59, 60.

<sup>21</sup> Cf. SCCD, « De Calendario Ordinis Prædicatorum » [Decr., Prot. CD 1860/71, 25 nov. 1971], ASOP 40, 1971, pp. 297-298; SCSCD, « Calendarium parti-

Sede Apostolica Ordini nostro concessa, celebrari potest sive in communi — modo pro unaquaque Provincia statuto et rite probato vel a Capitulo conventuali determinato<sup>22</sup> — sive privatim, ad libitum, iuxta generales rubricas.<sup>23</sup>

Dies celebrationis Calendarii ad usum Provinciarum indicatur pro universis Provinciis Ordinis, præscriptis iuris liturgici servatis. Interdum tamen, rationibus pastoralibus vel regionalibus, præsertim locis ubi corpora Beatorum asservantur, Calendaria unius vel alterius Provinciæ servare tenentur dies a diœcesibus vel a regionibus statutas, altiore tamen gradu liturgico servato.<sup>24</sup>

18. Celebrationes Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri rite inter se distinguuntur et nominantur: *Sollemnitas, Festum, Memoria*. Memoria vero sunt obligatoriæ aut ad libitum, et earum celebratio, cum feria occurrente componenda iuxta normas Missalis Romani, semper suo loco exprimitur, præterquam pro Beatis Calendarii particularis ad usum Provinciarum, quorum memoria de se est ad libitum.<sup>25</sup>

19. Pro Sanctis et Beatis Calendarii totius Ordinis, formularium integrum præbetur. Pro Beatis Calendarii ad usum Provinciarum, semper collecta propria et nonnumquam etiam duæ ceteræ orationes offeruntur. Elementa quæ desunt inveniri possunt in sectione de Communibus, e Missali Romano deprompta.

#### DE NONNULLIS PARTIBUS MISSÆ

20. Si ingrediendo cantus non peragitur, antiphona — vel una ex antiphonis — ad introitum, in Missali indicata, proclamatur, ut cœtus orantium ad mysterium celebrandum introducatur.<sup>26</sup>

Ad hoc vero expedit et alia elementa adhibere quæ vel in notitia biographica Liturgiæ Horarum de unoquoque Sancto inveniri possunt,<sup>27</sup> vel in breviori quoque *notitia* quam editiones Missalis nostri in linguis vernaculis initio formulariorum collocare poterunt.<sup>28</sup>

culare ad usum Provinciarum O.P. probatum seu confirmatum » [Decr., Prot. CD 670/76, 1º maii 1977], ASOP 43, 1977, pp. 91-93.

<sup>22</sup> Cf. ACG 1971, n. 130.

<sup>23</sup> Cf. OGMR, nn. 313-323, 326-341; IGLH, nn. 243, 244-252.

<sup>24</sup> Cf. MO A. FERNÁNDEZ, « Relatio de statu Ordinis... », ACG 1974, p. 193. — Cf. CP, nn. 17 b et 25; *Normæ universales de anno liturgico et calendario*, nn. 53 c), 54 (MR, p. 108).

<sup>25</sup> Cf. SCSCD, Decr., Prot. CD 670/76, 1º maii 1977 (ASOP 43, 1977, p. 91).

<sup>26</sup> Cf. IGM, nn. 26, 11.

<sup>27</sup> Cf. IGLH, n. 168; « Introductio generalis », n. 25 (LHOP, p. XL).

<sup>28</sup> Cf. infra, n. 69 d). — V. ROMANO, « Indicationes quædam pro adaptatione Proprii liturgici O.P. a Provinciis perficienda » [24 iunii 1978], n. 9 (ASOP 44, 1979, p. 17).

21. Cum duæ collectæ inveniuntur propositæ, illa seligatur quæ magis appropriata sit cœtui liturgico: quarum prima melius aptatur ad celebrationem coram populo fidelium, altera vero ad cœtum Fratrum.<sup>29</sup>

22. Præfationes pro Sanctis, ex Ordine Missæ Missalis Romani desumptæ,<sup>30</sup> adhiberi possunt sive in memoriis sive in festis vel sollemnitatibus. Item præfatio pro Sanctis O.P. hic infra<sup>31</sup> allata simili ratione adhiberi potest.

#### DE EUCHOLOGIA PROPRII ORDINIS

23. Euchologia huius Proprii O.P., in orationibus præsertim sed et in præfationibus et benedictionibus, funditus renovata est et aucta, iuxta dictamina conciliaris Constitutionis de Sacra Liturgia.<sup>32</sup>

Hoc quidem actum est ad spiritum religiosæ nostræ professionis vividius exprimendum et efficacius promovendum,<sup>33</sup> ad multiforme charisma Ordinis late manifestandum atque plenius assequendum.<sup>34</sup>

24. Omnes textus euchologici magni faciunt fructus hodiernæ investigationis historicæ, theologicæ et spiritualis in vita christiana, necnon et indicationes novissimi Concilii de renovatione vitæ religiosæ ad mutatas temporum condiciones accommodata, Fundatorum spiritu et cuiusque Instituti patrimonio servatis.<sup>35</sup>

#### *Orationes*

25. Orationum ad renovationem quod attinet, hæc præ mente habeantur:

a) Priores textus omnes diligenter revisi et retractati sunt (nonnullis peritis cooperantibus) attentis singulorum sanctorum vel beatorum historia et spirituali ipsorum facie, apostolica insuper actuositate — sive doctrinali, sive pastorali aut missionali — cuique propria diligenter spectata.

<sup>29</sup> Cf. « Introductio generalis », n. 44 (LHOP, p. XLVIII).

<sup>30</sup> Cf. *Ordo Missæ*, nn. 31-35, infra, pp. 85-89 (cf. MR, nn. 64-68, pp. 428-432).

<sup>31</sup> Cf. infra, p. 293.

<sup>32</sup> Cf. SC, nn. 4, 21, 23, 37, 40, 43.

<sup>33</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, nn. 14-15 (LHOP, pp. XVIII-XIX).

<sup>34</sup> Cf. CP, n. 40, b (EDIL, n. 2133). — « Introductio generalis », n. 8 (LHOP, p. XXXIV).

<sup>35</sup> Cf. CONC. VAT. II, Decr. De accommodata renovatione vitæ religiosæ *Perfectæ caritatis*, n. 2 (AAS 58, 1966, p. 703).

b) In aptandis autem textibus, vigilantia cura locutiones adhibitæ sunt quæ novissimi Concilii ecclesiologiam sapiunt illique magis coherent, tum præsertim cum de relationibus agitur Ecclesiæ ad mundum.

c) Ut in pluribus, duæ orationes collectæ inveniuntur pro festis vel memoriis obligatoriis Sanctorum Ordinis nostri: quarum prior plerumque communis est et in Missali Romano invenitur;<sup>36</sup> altera vero est Ordini magis propria et sodalium usui in universa Familia dominicana pressius destinata.<sup>37</sup>

d) Nonnullæ Provinciæ, ex. gr. Provinciæ Italiæ, pro suis Beatis alios textus latinos orationum adhibent, in quibus indoles Beatorum præcipue exprimitur iuxta loci consuetudines.

e) Quædam orationes ex antiquo Missali O.P. depromptæ et præstantia euchologica satis præditæ, ad Missas « pro variis necessitatibus » et « votivas » sunt adhibitæ.

### *Præfationes*

26. Præfationes propriæ, aliquibus festivitibus Ordinis aut peculiaribus exigentiis vitæ nostræ respondentes, magna cum diligentia selectæ vel retractatæ sunt, seu integre confectæ.

In hoc sane rationem sectati sumus Missalis Romani, qui non modo pro maioribus sollempnitatibus et festis sed vel pro ipsis sanctorum memoriis aut peculiaribus adiunctis formularia propria exhibet.

27. . De harum Præfationum indole et usu, hæc meminisse præstat:

a) Attenta peculiari devotione, quam Ordo noster inde a suis exordiis habuit erga Deiparam Virginem Mariam, Præfatio propria exarata est pro eius festivitate sub titulo Ss. Rosarii.

Hoc in formulario plura evocantur enuntiata Œcumenici Concilii Vaticani II de B.M.V. Deipara in mysterio Christi et Ecclesiæ.<sup>38</sup>

<sup>36</sup> Cf. A. DIRKS, « De oratione beati Dominici », ASOP 40, 1971, pp. 167-169; Id., « De orationibus Sanctorum nostrorum in libris Ritus Romani instauratis », *ibid.* 1972, pp. 514-525.

<sup>37</sup> Cf. supra, notam 29.

<sup>38</sup> Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, cap. VIII (AAS 57, 1965, pp. 58-67).

b) Alia insuper formularia Præfationum traduntur pro festiuitate Sanctorum O.P., quæ unitatem quandam præbent, multiformis gratiæ Dei ac donorum eius, quæ uberem Sancti Spiritus actionem ostendunt in sanctis Ordinis nostri quæque efficaciter nos inducunt ad laudem Dei, vitam illorum imitantes et exempla sectantes.

c) De his præcipue agitur præfationibus:

1. Præ aliis, S.P. Dominici: duo formularia pro duabus eius festiuitatibus (quorum unum ex novo confectum, alterum retractatum).

2. Deinde: S. Thomæ Aquinatis (unum, ex novo confectum); S. Petri M. et S. Catharinæ Senensis (ambo ex Missali Ambrosiano desumpta); S. Francisci Assisiensis (ex Missali Seraphico depromptum); S. Augustini episcopi (ex textibus derivatum et sua vice approbatum).

3. Pro Missis, etiam votivis, de Sanctis Ordinis nostri, formularium præcipuum adhiberi potest, quod Sanctorum nostrorum charisma et exemplum manifestat.

### *Benedictiones*

28. Benedictiones sollemnes et orationes super populum, quas sacerdos quibusdam occasionibus adhibere potest ad rituum conclusionem,<sup>39</sup> pro nonnullis festis sunt prævisæ. Earum textus sive creationes propriæ sunt sive ex Missali Romano deprompti.

29. Hæc formularia (nn. 25-27) nonnunquam opulenta, suam notam servant peculiarem: gratias enim agunt Deo ipso initio precis eucharisticæ pro dono Ecclesiæ facto eiusque communitatibus testium et prædicatorum fidei.

Omnis autem gratiarum actio etiam ad renovationem operandam impellit quam Deus in Christo per Spiritum Sanctum instauravit. Idem textus, sua structura poetica necnon indole euchologica, communitates nostras incitant ut salutis œconomiam expertæ in Ecclesia et in Ordine Prædicatorum expedite compleant.<sup>40</sup>

<sup>39</sup> Cf. IGMR, n. 57, a) et MR, pp. 495, 507.

<sup>40</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, n. 15 (LHOP, p. XVIII).

## DE COMMUNIBUS, NECNON DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA

30. Ad usum huius libri faciliorem reddendum, præsertim cum memoria cuiusdam beati vel beatæ Calendarii Provinciarum celebratur, aliqua formularia de Communibus deprompta sunt ex Missali Romano, exceptis eorum collectis.

31. Inter « Missas et orationes pro variis necessitatibus » præsertim nostrum formularium « Pro Prædicatoribus » est recognitum. Ex formulariis Missalis Romani nonnulla memorantur, ut formularium « Pro Concilio vel Synodo » quod etiam pro Capitulo generali adhiberi potest, cuius collecta partim in antiquo Missali O.P.<sup>41</sup> invenitur.

32. Quoad Missas votivas, illæ indicantur — ex Missali Romano desumptæ — quæ cum Officiis votivis Domini (SS. Nominis Iesu et Domini Nostri Iesu Christi patientis) sint coniunctæ.

Formularium de « Patrocinio Beatæ Mariæ Virginis » recognitum est ut tamquam Missa votiva percipiatur, ad certum diem non relata.

33. Præsens editio Missas votivas pro Sanctis Ordinis proprie non prævidet. Tamen ex formulariis exstantibus necnon et normis liturgicis<sup>42</sup> præ oculis habitis, pro opportunitate cœtus orantium vel devotione, Missa votiva pro aliquo Sancto haberi potest. Convenienti autem discretione adhibita, adaptationes Missalis O.P. in linguis vernaculis præcipua formularia pro uno vel alio Sancto nostri Calendarii prævidere possunt.

## III

## LECTIONARIUM MISSÆ O.P.

## STRUCTURA GENERALIS

34. Traditionis Ordinis eximia testificatio præclarusque thesaurus, hoc Proprium liturgicum communem nostram venerationem exprimit erga testes maxime conspicuos gratiæ S.P. Dominici.

In celebrationibus vero peragendis, præsertim ad usum Lectionarii quod attinet, præ mente habeatur oportet priorem locum dandum esse celebrationibus de mysteriis Christi, menstruo Psalterii cyclo necnon lectioni continuæ Sacræ Scripturæ.

<sup>41</sup> Cf. MOP, p. [87].

<sup>42</sup> Cf. IGMR, nn. 326-334.

35. In seligendis et adhibendis textibus Sacrae Scripturae ad hoc Lectionarium conficiendum, iisdem criteriis et orientationibus usi sumus ac in conficiendo Proprio officiorum O.P.<sup>43</sup>

36. In hoc libro amplior lectionum selectio proponitur, ut et Provinciae adiuventur in suis Propriis conficiendis et celebratio Sanctorum O.P. variis in cœtibus foveatur.

Tituli lectionibus appositi necnon propositiones psalmodiarum responsorialium, etc., etiam cum hæc elementa ex Lectionario Romano sint desumpta, adaptationem magni pretii constituunt quæ ad nostras celebrationes maxime interest.

37. Textus biblici pro lectionibus ex *Nova Vulgata Bibliorum Sacrorum* [1979] editione sunt desumpti, nonnullis emendationibus appositis iuxta editionem typicam alteram Lectionarii Romani quæ paratur.<sup>44</sup>

Nonnullæ vero antiphonæ e Graduali depromptæ suum textum servant.

38. Lectionarium in hoc volumine una cum Missale editur usus causa, in autonoma tamen sectione locatum.<sup>45</sup>

Pro quibuscumque celebrationibus Calendarii totius Ordinis, saltem unum formularium integrum semper præbetur; alii textus ad libitum sub forma Ordinis lectionum indicantur. Cum Lectionarii Romani editio typica altera nunc [1983] adhuc paretur, visum non est referentias ad paginas prioris editionis [1970] præbere.

In editionibus autem linguis vernaculis, optimum erit si pro posse textus integri edantur.

#### DE USU HUIUS LECTIONARII PRO VARIIS CELEBRATIONIBUS

39. In celebrationibus, quæ Calendario O.P. gradu *sollemnitatis* inscribuntur, leguntur *tres* lectiones, ex hoc Lectionario sumendæ.

In celebrationibus vero quæ gradu *festi* inscribuntur, *duæ* habentur lectiones ex hoc Lectionario sumendæ.

<sup>43</sup> Cf. « Introductio generalis », nn. 12, 34-36 (LHOP, pp. xxxv, xlv); OLM, « Prænotanda », nn. 83-84 (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 389-390).

<sup>44</sup> Cf. OLM, « Variationes Ordinis lectionum » (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 420-462).

<sup>45</sup> Cf. supra, n. 2.

In *memoriis* autem Sanctorum Ordinis nostri, sive obligatoriis sive ad libitum, leguntur *duæ* lectiones, vel e Lectionario feriali vel e Communi Sanctorum vel ex hoc Lectionario, prout in die respondenti indicatur, sumendæ.

40. Quod ad memorias attinet, de more præstat lectionem continuam Sacræ Scripturæ non interrumpi.

Quod si fit iusta de causa, celebrans vel communitas, præ oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadæ, ut conspectus argumenti integer præbeat, lectionem omissam resumere potest, v.g. eam opportune componendo cum alia lectione eiusdem hebdomadæ.<sup>46</sup>

#### DE CELEBRATIONIS GRADUS MUTATIONE

41. Cum diversis in locis vel nationibus gradus celebrationum mutatur, attendatur *sollemnitates* tres lectiones habere, quarum prima ex Vetere Testamento (Tempore autem paschali ex Actibus Apostolorum vel Apocalypsi) cum psalmo responsorio, secunda vero ex Novo Testamento, tertia denique ex Evangelio.<sup>47</sup>

#### LECTIONES PRO COMMUNIBUS ET MISSIS AD DIVERSA

42. In lectionibus pro Missis ad diversa et votivis, Verbum Dei hauritur vel ad ipsum accedendo, ab adiunctis et necessitatibus hominum, vel mirabilia Dei et misericordiam eius agnoscendo. Fides et oratio exinde enutriuntur; multimodi aspectus mysterii christiani altius attinguntur.

Pro formulariis in hoc libro notatis, ad Lectionarium Romanum referentiæ dantur. Aliquot tantum textus selecti et editi sunt in Missis « Pro Prædicatoribus » et « Patrocinii B. Mariæ Virginis ».

43. Iuxta suum Calendarium et necessitates particulares, Provinciæ poterunt, pro Communibus et pro Missis ad diversa, votivis ac defunctorum, Lectionarium vel Ordinem lectionum ampliorem constituere quam Lectionarium hic propositum. Sic ergo inter hæc elementa seligi poterunt ab iis qui hos libros adhibebunt, sive pro particularibus celebrationibus beatorum sive pro peculiaribus adiunctis cuiusdam communitatis sive pro Missis vel oratione cœtuum peculiarium.<sup>48</sup>

<sup>46</sup> Cf. IGMR, n. 319.

<sup>47</sup> Cf. IGMR, n. 318; OLM, « Prænotanda », n. 84, c) (*Notitiæ* 18, 1981, p. 390).

<sup>48</sup> Cf. IGMR, nn. 319-320; OLM, « Prænotanda », nn. 85-88 (*Notitiæ* 18, 1981, p. 390).

## IV

## APPENDIX PRO DIVERSIS ELEMENTIS

44. In sectione quæ « Appendix »<sup>49</sup> inscribitur, præsertim elementa in cantu afferuntur, vel Missali vel Lectionario coniuncta.

## ORDO CANTUS MISSÆ

45. In Appendice I inveniuntur indicationes pro cantu gregoriano circa Proprium de Tempore vel festa quæ in hoc Missali continentur. Referentia datur sive ad Graduale O.P. [1950] sive ad Graduale Romanum [1974], sive etiam, nonnunquam, ad antiphonas vel elementa ex aliis libris cantus deprompta, præsertim ex Ordine Hebdomadæ Sanctæ [1965].

Ad usum pastorem faciliorem reddendum, « forma simplicior » prævisa est, orientationibus Gradualis simplicis [1975] innixa.

Huius sectionis Prænotanda peculiariter admonent de forma qua Ordo est confectus.

46. Ordo cantus Missæ O.P. præcipue ergo spectat ad elementa in cantu indicanda, circa Proprium de Tempore, Proprium de Sanctis, necnon circa aliqua formularia, quædam Communium et aliarum sectionum. Præterea nonnullæ antiphonæ seligi poterunt pro introitu vel communionem cum Proprium Officiorum O.P. in varias linguas aptabitur.

Selectio antiphonarum vel reliquorum elementorum quæ differunt ab iis quæ in Missali vel Lectionario proponuntur, eo quod prædita non erant melodia gregoriana, facta est iuxta methodum æquipollentiæ, in Ordine cantus Missæ Romano vel in Ordine cantus Officii<sup>50</sup> adhibitam.

Præsens igitur Ordo nonnisi ut exemplum profertur quod laborem circa celebrationes parandas faciliorem reddat. Pro ipsa enim editione latina, hic Ordo nullam vim habet præceptivam.

47. In seligendis cantibus qui diei vel actioni liturgicæ congruant, proderit præ oculis habere principium « progressivæ sollemnitatis », quod non semel tum Ecclesiæ tum Ordinis Prædicatorum documenta in mentem revocarunt.<sup>51</sup>

<sup>49</sup> Infra, pp. 419 sqq.

<sup>50</sup> Cf. IGMR, nn. 19, 26, 36, 56 i, 313, 324; *Ordo cantus Missæ*, ed. typica 1975, « Prænotanda » (EDIL, nn. 2833-2859; infra, pp. 425-427); IGLH, n. 274; *Ordo cantus Officii*, ed. typica 1983 (*Notitiæ* 1983, pp. 359-528).

<sup>51</sup> Cf. IGMR n. 19; IGLH, n. 273; LCO, n. 65; LCM, n. 88; ICLOP, n. 8.

Quod cum sedulo observatum erit, salva semper mysteriorum Domini dignitate primaria, unusquisque conventus seu domus Sanctos Ordinis celebrare poterit secundum hodiernæ liturgiæ spiritum, iuxta possibilitates locorum et ad maiorem fructum spiritualem apud fratres et sorores.

## CANTUS IN ORDINE MISSÆ OCCURRENTES

48. Editi sunt etiam, cum tonis in Regulis Cantus O.P. [1965] indicatis, qui porro adhiberi possunt,<sup>52</sup> aliquot textus Missæ: « ad ritus initiales », « pro orationibus », « ad liturgiæ Verbi », « toni præfationum », « ad ritus communionis », « ad ritus conclusionis ».

Quoniam illorum usus iam inde ab anno 1961 requisitus sit et in nostris libris ab anno 1965 inveniatur, signa conventionalia seu puncta post notas protrahendas sunt adnotata.<sup>53</sup> Tamen pro elementis quæ ab uno ministro cantantur, secundum opinionem peritorum sufficit tantum hierarchia virgularum [ || | | ] pausas cantus significantium. Ceterum quædam elementa, de quibus ibidem dicturi sumus, anastatice deprompta ex antiquis editionibus, illa puncta non præbebant.

## ALII CANTUS IN MISSALI ET IN LECTIONARIO OCCURRENTES

49. Hæc sectio continet, nova aut anastatica editione proposita, quædam specimina cantus pro certis diebus Tridui Paschalis.

Præconii paschalis, quod cantari potest iuxta melodiam Ordinis, textus præbetur hodie in Missali Romano constitutus.<sup>54</sup>

50. Equidem, sive in nova typographica compositione sive in anastatica editione, hic quædam specimina melodiæ colliguntur, quæ, traditione liturgiæ Ordinis deprompta, attentione digna videntur.<sup>55</sup>

Iuxta confirmationis decretum,<sup>56</sup> sequentia Lætabundus duas minimas correctiones recepit; sequentia vero S.P. Dominici deminuta est aliquot strophis ut ad usum liturgicum melius aptetur.

Inveniri etiam poterunt, in textu et melodia ipsis propria, cantus Genealogiæ qui in Nativitate Domini et in Epiphania adhiberi possunt. Verum, quia paginas Missalis O.P. [1965] ex integro anastatice edimus, forma nostri textus non est iuxta Novam Vulgatam emendata.

<sup>52</sup> Cf. ACG 1974, n. 171: « De quibusdam elementis peculiaribus Ritus nostri », nn. 23, 24, 25; SCSCD, Decr. Prot. CD 671/76, 25 iulii 1977 (ASOP 43, 1977, p. 140).

<sup>53</sup> Cf. ACG 1961, nn. 160, 162; ACG 1962, n. 136.

<sup>54</sup> Cf. SCSCD, Decr. Prot. CD 671/76, 25 iulii, ad n. 10 (ASOP 43, 1977, p. 139).

<sup>55</sup> Cf. ACG 1980, n. 60.

<sup>56</sup> Cf. SCSCD, Decr. Prot. CD 1950/77, ad 54, 56-57 (ASOP 43, 1978, p. 332).

## V

DE APTATIONIBUS ET ACCOMMODATIONIBUS  
HUIUS LIBRI

## A

## Principia generalia

51. Aptatio huius Missalis et Lectionarii ad cœtus cultura linguaque diversos fiet secundum normas a Sede Apostolica et a Conferentiis Episcopalibus, necnon ab Ordine nostro indicatas.<sup>57</sup>

52. Præ oculis quoque habenda est diversa indoles cuiusque sectionis huius libri, necnon quæ in hac Introductione indicantur. Tum in conficiendo unum vel plura volumina, tum in augendo et locupletando Communia ceterasque sectiones, necessitatibus Provinciarum opportune consulatur.

Quædam vocabula, ad ministros vel ad eorum munera pertinentia, nova forma enuntiari poterunt quæ ad usus communitatum nostrarum in Ecclesia locali melius accommodetur.

Efficacitas pastoralis celebrationis profecto augebitur, si orientationes præ oculis habebuntur quæ in capitulo VII *Institutionis Generalis Missalis Romani*,<sup>58</sup> « De Missa eiusque partibus eligendis », præbentur, et si opportune in lucem ponentur accommodationes a ministris forte allatæ.

53. Pro aptatione tamen textuum circa ritus ac gestus considerare oportet formularia nostra intendere ad celebrationem choralem liturgiæ. Exstant autem elementa peculiaria traditionis liturgiæ Ordini nostro propriæ, quæ exigunt ut usus nostri et diversitates communitatum apte cognoscantur ad rectam ipsorum aptationem peragendam.<sup>59</sup>

Plura de hoc labore sunt iam dicta.<sup>60</sup> Hic infra indicationes memorantur quæ ad hanc sectionem nostri Missalis rectius pertinent.

<sup>57</sup> Cf. « Introductio generalis », nn. 72-79 (LHOP, pp. LX-LXIII); « Adaptationes complementares », nn. 30-40 (LHOP, pp. 17-21).

<sup>58</sup> Cf. IGMR, nn. 313-325 (MR, pp. 85-89).

<sup>59</sup> Cf. « Introductio generalis », nn. 72-73 (LHOP, pp. LX-LXI).

<sup>60</sup> Cf. supra, nn. 4, 5, 9.

## B

## De aptatione Proprii de Tempore

54. Translatio Proprii de Tempore in linguam vernaculam peculiarem exigit curam circa ritus, cantus et textus, necnon circa methodum generalem quæ in Missali Romano pro aptatione partium similium est adhibita.

## DE CANTIBUS TYPICIS ET REPERTORIIS

55. Pluries rubricæ ipsæ indicant cantus magis typicos pro aliquibus actionibus liturgicis vel partibus ipsarum. Aptatio ad hoc intendere debet, ut compositiones vere peculiare reddantur vel saltem elementa præstantiora serventur.

In cæremoniis præparandis invigilandum erit ut omnia membra communitatis necnon fideles actuose celebrationibus participare valeant, præsertim momentis præcipuis ipsarum.<sup>61</sup>

56. In cantu eligendo, attendendum erit ad genera litteraria et ad possibilitates cætus liturgici; ad qualitatem etiam repertorii respiciatur, principio tamen æquipollentiæ non neglecto.<sup>62</sup> Exinde in linguis vernaculis, aliquæ formæ proclamationis vel lectionis textus cum instrumentis musicis subtile comitantibus celebrationi liturgicæ harmonice accommodari poterunt.<sup>63</sup>

57. Quoad cantum gregorianum, libri nostri liturgici adhuc adhiberi possunt, tamen in quantum naturæ rerum respondeant et iuxta indicationes quas Ordo cantus Missæ continet, ut infra invenietur.<sup>64</sup> Hoc Proprium de Tempore interdum multas antiphonas gregoriano cantu ornatas præbet. In aptationibus ad linguas vernaculas numerus tantum definitus istarum antiphonarum adhiberi poterit, servatis tamen cantibus typicis vel hodierno tempore compositis.<sup>65</sup>

## DE USU ET APTATIONE COMMUNITATIBUS PROPRIIS

58. Hoc Supplementum descriptionem offert instauratam ac generalem rituum quos Ordo ex traditione liturgica sibi propria servat. Pluries tamen varias possibilitates præbet — quæ ad libitum usurpari

<sup>61</sup> Cf. « Adaptationes complementares », nn. 24, 27, 28, 29 (LHOP, pp. 15-17).

<sup>62</sup> Cf. supra n. 46 et notam 50; « Adnotationes complementares », n. 21 (LHOP, p. 14).

<sup>63</sup> Cf. *ibid.*, n. 22 (LHOP, p. 14). — IGMR, n. 12.

<sup>64</sup> Infra, pp. 421 sqq.

<sup>65</sup> Cf. supra, n. 55.

possunt — et locum præstat ad nova per communitates efformanda in his actionibus liturgicis. Quoad aliquos ritus persolvendos (v.g. quoad dispositionem locorum, dispositionem chori, processiones, etc.) varietate attendita nostrarum communitatum (Fratrum, Monialium vel Sororum), consuetudines Ordinis servari possunt.<sup>66</sup> Pariter aliquæ observationes generales intellegi debent cum indicationibus practicis *Institutionis Generalis Missalis Romani* relatæ.

59. Aliqui ritus vel actiones quædam anni liturgici cum nova possibilitate ea peragendi indicata sunt. Orientationes Missalis percurrando, notari possunt hæc: ingressus sollemnis quando processio haberi non potest, aliæ celebrationes, ut Benedictio et impositio Cinerum vel Commemoratio ingressus sollemnis Iesu Christi in Ierusalem, effici possunt in contextu aliquo symbolico liturgiæ Dei Verbi peculiariter aptatæ. Hæ novæ formæ actionis liturgicæ requirunt peculiarem animadversionem communitatum, ut intelligant connexionem inter has novas formas et suam vitam liturgicam.

Æquilibrio generali cuiusdam celebrationis servato, formulariis quoque Missalis Romani, si placet, utendo, æque apta adhiberi possunt unum tantum vel aliqua elementa ex hoc Supplemento O.P. de prompta.

60. Ordo noster in *Indicationibus pro celebrationibus liturgicis* animadvertit liturgiam nostrarum communitatum, in earum structura conventuali, sequi posse orientationes Conferentiarum Episcopaliū necnon legitimas suggestiones a conventibus vel a Provinciis propositas.<sup>67</sup> Quæ suggestiones tales esse debent ut fratres aliique fideles actionem liturgicam pleniore modo participare possint, liturgiam christianam apte adimplentes.<sup>68</sup>

## C

### De aptatione Proprii de Sanctis

61. Aptationem huius partis nostri Missalis iuxta normas requisitas fieri oportet. In hoc labore perficiendo præ oculis habeantur indicationes toti Ordini propositæ necnon particulares Provinciarum necessitates, quæ linguæ vel Calendarii peculiaribus exigentiis connectuntur.

<sup>66</sup> Cf. « Adnotationes complementares », nn. 14-17, 31, 37 (LHOP, pp. 9-11, 17, 20); ICLOP, n. 43.

<sup>67</sup> Cf. ICLOP, nn. 2, 9, 20, 40. — Commentarium et bibliographia in ASOP 43, 1977, pp. 260-273; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 464-479.

<sup>68</sup> Cf. ICLOP, n. 3; SC, n. 28; IGMR, nn. 2-3, 5, 15, 16; « Adnotationes complementares », n. 16, 35 (LHOP, pp. 10, 19).

## DE ANTIPHONALI-SACRAMENTARIO

62. Initio formulariorum brevis notitia biographica cuiusque Sancti vel Beati edi potest, quæ monitioni initiali libere perficiendæ auxilio esse poterit.<sup>69</sup>

Antiphonis ad introitum vel ad communionem substitui possunt aliqui textus Sacræ Scripturæ magis congrui.<sup>70</sup> Cum cantus typicus pro aliquo Sancto exstat, secundo loco post antiphonas biblicas eius responsorium vel una stropha præberi poterit.

63. Translatio orationum Sanctorum vel Beatorum nostrorum maxima cura conficiatur, præ oculis habendo sensum typicum huius euchologiæ necnon suggestiones prævias normis pro textibus liturgicis interpretandis.<sup>71</sup>

In vertendis vero seu aptandis his orationum textibus, nihil vetat quominus Provinciæ Ordinis quarum interest — utpote strictiores habentes necessitudines cum aliquibus Sanctis vel Beatis (ut sunt, v.g., Provinciæ Italiæ) — elementa magis propria apponant vel alia prorsus adhibeant formularia, approbationi inde rite subicienda.

64. Præfationes quarum quædam aliquot divitias imaginum et theologici sensus præbent ita transferri oportet ut typicæ maneant, non obstantibus exigentiis linguarum vernacularum necnon cantus possibilitate.<sup>72</sup>

65. Communia necnon alia formularia « ad diversa » in hoc Missali, ut supra dictum est, pauciora sunt. Aptationes poterunt illa augere, sive formularia magis idonea de Comuni (martyrum, sanctorum vel sanctarum O.P.) conficiendo, sive missas « pro variis necessitatibus » vel votivas afferendo, quæ utilitati Provinciarum respondeant.

## DE LECTIONARIO PRO MISSIS PROPRIIS

66. Translationis seu aptationis labor circa Lectionarium ad hoc præcipue intendere debet ut lectiones quæ in editione typica latina proponuntur quam optime adhiberi valeant.

Textus valde congrui fient si tituli lectionum apte exprimantur et psalmus responsorius sapienter eligatur. Quandoque suggeri po-

<sup>69</sup> Cf. supra, n. 20. — IGMR, n. 11.

<sup>70</sup> Cf. « Consilium ». Instr. *De interpretatione textuum liturgicorum*, 25 ian. 1969, n. 36, c) (EDIL, n. 1235).

<sup>71</sup> Cf. *ibid.*, n. 34 (EDIL, n. 1233).

<sup>72</sup> Cf. *ibid.*, n. 33 (EDIL, n. 1232).

terit, moderate quidem, facultas adnotationem adiungendi quæ rationem selectionis cuiusdam textus biblici pro quodam Sancto explicet.

Item, præter Indices in hac editione latina confectos, editiones Lectionarii in linguis vernaculis poterunt « **Indicem thematum** » offerre qui usum ampliorem Lectionarii pro celebrationibus vel precibus cum cœtibus peculiaribus fovere valeat.

67. Pro suis ergo necessitatibus, aptationes poterunt hoc Lectionarium plenius perficere, præsertim circa Communia necnon alias sectiones « ad diversa » et votivas.

68. Iuxta linguæ vernaculæ genus, sequentiæ Proprii nostri aptationem recipiant ad textum originalem propinquam sed etiam novitate fecundam. Iis etiam novæ creationes substitui poterunt, quæ autem generi sequentiæ vel prosæ, magno momento liturgico præditæ, adhæreant.

## D

### De quibusdam technicis aspectibus

69. Aliquot aspectus technici vel peculiare, licet non absolute perspecti, tamen pro aptatione huius Missalis et Lectionarii utiles memorari hic oportet, ut eos Provinciæ præ oculis habeant.

a) Optandum erit pro posse, ut Missalis et Lectionarii editiones fiant distinctæ, cantusque typici, qui adsint, includantur.

b) In aptanda hac Introductione generali, attente discernatur quod de se ad editionem latinam seu quod ad editionem in lingua vernacula pertineat, attenta quidem librorum distinctione nuper evocata [cf. a)].

c) Rubricæ, præsertim « Proprii de Tempore », natura rituum servata, ita aptari possunt ut melius necessitatibus communitatum contextibusque ecclesialibus respondeant, præcipue circa ministeria fratrum, sororum ceterorumque fidelium illustranda.<sup>73</sup>

d) Textibus monitionum substitui possunt alii textus qui magis congrui videantur; item initio Missarum propriarum cuiusque Sancti vel Beati parva notitia biographica apponi potest, vel alia quædam adnotatio quæ intelligentiam seu rectum usum pastorem textuum foveat.

e) Quamvis memorari oporteat Ordinem cantus Missæ pro cantu gregoriano exsistere, opportunum tamen erit et Ordinem cantus in

<sup>73</sup> Cf. IGMR, cap. III « De officiis et ministeriis in Missa », nn. 58-73.

lingua vernacula parari, qui ceterum aliquot referentias ad cantum gregorianum includere potest.

f) Ut complementum ad Indicium aptationem requisitum, quædam elementa pastoralia possunt prævideri: Index videlicet thematicus pro Lectionario Missarum, parvæ præsentationes textuum Sanctorum, vel breves indicationes de quibusdam textibus vel ritibus Proprii de Tempore.

In editionibus nostri Missalis ad usum fidelium paratis, elementa ista « catechetica » magis organice in structura libri inserantur.

70. In relatione quæ comitari debet omnem petitionem pro impetranda approbatione seu confirmatione adaptationis huius Missalis et Lectionarii O.P., diligenter indicanda sunt non solum ratio generalis laboris eiusque particularitates si quæ forte sint connexæ, sed etiam aspectus technici vel peculiare supra memorati.<sup>74</sup> Expedi enim ut adaptationes fermentum quoddam constituent pro liturgica communitatum vitalitate, sed ut communionem quoque servent cum isto signo unitatis quod Ordo noster per proprium Missale et Lectionarium proponit.<sup>75</sup>

#### DE ANNI LITURGICI CELEBRATIONE IN VITA COMMUNITATUM

71. Ut anni liturgici cursus et celebratio mysteriorum Redemptionis necnon memoria Sanctorum formationem plenioram, spiritualem et corporalem, credentium, ab Ecclesia exoptatam<sup>76</sup> perficiant, maxime convenit ut vita communitatum et tempora liturgica, secundum ipsam traditionem nostram, inter se connexa fiant.<sup>77</sup>

Ita novis formulariis convenienter aptatis, optandum est symbolice significari per anni circulum — attentis concretis possibilitatibus — connexionem inter vitam communitatis et mysterium salutis. Ita Fratres nostri, Moniales et Sorores, etsi parva sit communitas adunata, præsentibus fidelibus vel non, omni opere nitantur ut celebratio liturgiæ plene spiritui et veritati vitæ nostræ evangelicæ respondeat.<sup>78</sup>

<sup>74</sup> Supra, n. 69.

<sup>75</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Vitæ orationis*, n. 23, p. XVIII.

<sup>76</sup> Cf. SC, nn. 102-105; SRC, Instr. *Inter Œcumenici*, nn. 14, 38 (EDIL, nn. 212, 236); CONC. VAT. II, Decr. *Perfectæ caritatis*, nn. 2, 3, 6, 7, 9, 15 (AAS 58, 1966, pp. 703-706, 709).

<sup>77</sup> Cf. « Adnotationes complementares », nn. 8, 16, 19 (LHOP, pp. 6, 11, 12).

<sup>78</sup> Cf. ACG 1974, n. 171: « Nota prævia » (ASOP 43, 1977, p. 134); « Introductio generalis », nn. 8, 85 (LHOP, pp. XXXIV, LXVI). — HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera de vita regulari*, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 167-169.

\* \* \*

72. Ita communitates Ordinis et fideles secundum humanam conditionem, culturam vel apostolicam intentionem diversi, in unum congregati ad mysterium paschale celebrandum decursu anni liturgici et cultus Sanctorum, actu sunt « Ecclesia celebrans », licet conditionibus loci et temporis circumscripta.<sup>79</sup>

In ipsa Christus munus sacerdotale exercet, scilicet « humanæ redemptionis et perfectæ Dei glorificationis opus », et Spiritus Sanctus, per « epiclesin » invocatus in ipso cœtu liturgico, efficit ut communitates nostræ, secundum charisma nobis proprium, dynamicè perficiant ministerium Ordinis, idest Verbi Dei prædicationem.<sup>80</sup>

<sup>79</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, 7 nov. 1980, n. 30 (LHOP, p. xxvii).

<sup>80</sup> Cf. LCO, n. 1 § III. — « Introductio generalis », n. 73, præsertim notam 104 (LHOP, p. lxi).

## INDEX SIGLORUM

### I

#### LIBRI SACRÆ SCRIPTURÆ

<b>Abd</b>	Liber Abdiæ prophetæ
<b>Act</b>	Actus Apostolorum
<b>Ag</b>	Liber Aggæi prophetæ
<b>Am</b>	Liber Amos prophetæ
<b>Ap</b>	Apocalypsis beati Ioannis apostoli
<b>Bar</b>	Liber Baruch prophetæ
<b>Cant</b>	Canticum canticorum
<b>1 et 2 Chr</b>	Libri I et II Chronicorum (= I et II Paralipomenon)
<b>Col</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses
<b>1 et 2 Cor</b>	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
<b>Dan</b>	Liber Danielis prophetæ
<b>Deut</b>	Liber Deuteronomii
<b>Eph</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios
<b>Esd</b>	Liber Esdræ (= I Esdræ)
<b>Est</b>	Liber Esther
<b>Ex</b>	Liber Exodus
<b>Ez</b>	Liber Ezechielis prophetæ
<b>Gal</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Galatas
<b>Gen</b>	Liber Genesis
<b>Hab</b>	Liber Habacuc prophetæ
<b>Hebr</b>	Epistola ad Hebræos
<b>Iac</b>	Epistola beati Iacobi apostoli
<b>Ier</b>	Liber Ieremiæ prophetæ
<b>Io</b>	Evangelium secundum Ioannem
<b>1, 2 et 3 Io</b>	Epistolæ I, II et III beati Ioannis apostoli
<b>Iob</b>	Liber Iob
<b>Ioel</b>	Liber Ioelis prophetæ
<b>Ion</b>	Liber Ionæ prophetæ
<b>Ios</b>	Liber Iosue
<b>Is</b>	Liber Isaiaë prophetæ
<b>Iud</b>	Epistola beati Iudæ apostoli

<b>Iudic</b>	Liber Iudicum
<b>Iudt</b>	Liber Iudith
<b>Lam</b>	Lamentationes (= Threni)
<b>Lc</b>	Evangelium secundum Lucam
<b>Lev</b>	Liber Leviticus
<b>1 et 2 Mac</b>	Libri I et II Machabæorum
<b>Mal</b>	Liber Malachiæ prophetæ
<b>Mc</b>	Evangelium secundum Marcum
<b>Mic</b>	Liber Michææ prophetæ
<b>Mt</b>	Evangelium secundum Matthæum
<b>Nah</b>	Liber Nahum prophetæ
<b>Neh</b>	Liber Nehemiæ (= II Esdræ)
<b>Num</b>	Liber Numeri
<b>Os</b>	Liber Osee prophetæ
<b>1 et 2 Petr</b>	Epistolæ I et II beati Petri apostoli
<b>Phil</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses
<b>Phm</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Philemonem
<b>Prov</b>	Liber Proverbiorum
<b>Ps</b>	Liber Psalmorum
<b>Qoh</b>	Liber Qohelet (= Ecclesiastes)
<b>1 et 2 Reg</b>	Libri I et II Regum (= III et IV Regum)
<b>Rom</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Romanos
<b>Rut</b>	Liber Ruth
<b>1 et 2 Sam</b>	Libri I et II Samuelis (= I et II Regum)
<b>Sap</b>	Liber Sapientiæ
<b>Sir</b>	Liber Siracidæ (Ben Sira = Ecclesiasticus)
<b>Soph</b>	Liber Sophoniæ prophetæ
<b>1 et 2 Th</b>	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses
<b>1 et 2 Tim</b>	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Timotheum
<b>Tit</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Titum
<b>Tob</b>	Liber Tobiae
<b>Zac</b>	Liber Zachariæ prophetæ

In textu, psalmi sumuntur ex editione quæ dicitur « Nova Vulgata » (Typis Polyglottis Vaticanis, 1979), quæ peculiari utitur computatione versiculorum; nonnullæ vero leves emendationes factæ sunt, iuxta editionem typicam alteram Lectionarii Romani, quæ paratur.

E contra, indicatio versiculorum post titulum uniuscuiusque psalmi responsorii fit iuxta veterem Vulgatam, prouti habetur in editione typica « Ordinis Lectionum Missæ » (Typis Polyglottis Vaticanis, 1981).

Antiphonæ, nisi ex libris cantus sint excerptæ, de more sumuntur ex editione « Nova Vulgata ». Attamen inductæ sunt quædam leves aptationes, sigla « cf. » indicatæ, ita ut versus responsorius, ut plurimum in forma invocationis redactus, facilius a populo cani possit.

## II

## LIBRI LITURGICI

- AG** Antiphonarium S.O.P., ed. S. Gillet, Romæ 1933 [Add. 1948, 1949 et 1961].
- GOP** Graduale S.O.P., ed. E. Suarez, Romæ 1950 [Add. 1962]
- GR** Graduale Romanum, Abbatia Sancti Petri de Solesmis 1974.
- GS** Graduale Simplex. Editio typica altera. Typis Polyglottis Vaticanis, 1975.
- LH** Liturgia Horarum iuxta Ritum Romanum. Editio typica, 4 voll. Typis Polyglottis Vaticanis, 1971-1972.
- LHOP** Liturgia Horarum. Proprium Officiorum O.P., ed. V. de Couesnongle, Romæ 1982.
- LR** Missale Romanum, Lectionarium. Editio typica, 3 voll. Typis Polyglottis Vaticanis, 1970-1971.
- MOP** Missale iuxta Ritum O.P., ed. A. Fernández, Romæ 1965.
- MR** Missale Romanum. Editio typica altera. Typis Polyglottis Vaticanis, 1975.
- OCM** Ordo cantus Missæ. Editio Typica. Typis Polyglottis Vaticanis, 1973.
- OHS** Officium Hebdomadæ Sanctæ O.P., ed. A. Fernández, Romæ 1965.

normis generalibus Iuris asservatis, communitates monialium etiam orientationes considerent ab Ordinario loci datas ut ad liturgiæ celebrationem deveniatur quæ omnium participationem consequatur, exigentiis quidem communitatum contemplativarum servatis.<sup>16</sup>

15. Similiter opportunum erit ut alii fideles participant muneribus liturgicis quæ olim apud nos fratribus tantum assignabantur.

## II

### PROPRIUM DE SANCTIS

#### PRINCIPIA GENERALIA

16. In Missis propriis Sanctorum et Beatorum nostrorum præparandis et præsentandis, præ oculis habitæ sunt normæ liturgiæ instauratæ necnon Instructiones de Propriis recognoscendis.<sup>17</sup>

Observatæ sunt et traditio liturgica Ordinis nostri et pluralitas diversorum cœtuum liturgicorum, conventuum Fratrum, monasteriorum Monialium, communitatum Sororum, coadunationum sodalium nostrarum Fraternitatum laicalium ac reliquorum fidelium, etc.

Familiæ dominicanæ membra invenient in his textibus, tam « opulentis ex numeris et argumentis, renovationis vitæ eorum dominicanæ alimentum », « propter contactum magis directum cum aliis qui exemplaria nostra et intercessores in sequela sancti Dominici sunt ».<sup>18</sup>

#### DE CALENDARIO ET GRADU CELEBRATIONUM

17. Iuxta generales determinationes iuris communis<sup>19</sup> et petitiones nostrorum Capitulorum generalium,<sup>20</sup> Calendarium Ordinis celebrationes nostras cum cyclo liturgico generali harmonice componere nititur, duplicem sequens indicationum fontem: *Calendarium particulare pro toto Ordine* et *Calendarium particulare ad usum Provinciarum O.P.*<sup>21</sup> Sanctorum quidem memoria, iuxta facultatem a

<sup>16</sup> Cf. « Adnotationes complementares », nn. 34, 40 (LHOP, pp. 19, 21); LCM [ed. 1983], n. 88 bis.

<sup>17</sup> Cf. Bibliographia: « De Calendariis particularibus et Propriis » (LHOP, p. LXXI).

<sup>18</sup> Cf. ACG 1977, n. 61.

<sup>19</sup> Cf. CP, nn. 1-6 (EDIL, nn. 2094-2099).

<sup>20</sup> Cf. ACG 1965, n. 296; ACG 1971, nn. 130-134, 136; *Calendarium generale Ordinis* (in ACG 1971, pp. 113-114); ACG 1974, nn. 167-169; *Calendarium particulare [O.P.]* (in ACG 1974, pp. 200-202); ACG 1977, n. 61; ACG 1980, nn. 55, 59, 60.

<sup>21</sup> Cf. SCCD, « De Calendario Ordinis Prædicatorum » [Decr., Prot. CD 1860/71, 25 nov. 1971], ASOP 40, 1971, pp. 297-298; SCSCD, « Calendarium parti-

Sede Apostolica Ordini nostro concessa, celebrari potest sive in communi — modo pro unaquaque Provincia statuto et rite probato vel a Capitulo conventuali determinato<sup>22</sup> — sive privatim, ad libitum, iuxta generales rubricas.<sup>23</sup>

Dies celebrationis Calendarii ad usum Provinciarum indicatur pro universis Provinciis Ordinis, præscriptis iuris liturgici servatis. Interdum tamen, rationibus pastoralibus vel regionalibus, præsertim locis ubi corpora Beatorum asservantur, Calendaria unius vel alterius Provinciæ servare tenentur dies a diœcesibus vel a regionibus statutas, altiore tamen gradu liturgico servato.<sup>24</sup>

18. Celebrationes Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri rite inter se distinguuntur et nominantur: *Sollemnitas, Festum, Memoria*. Memoria vero sunt obligatoriæ aut ad libitum, et earum celebratio, cum feria occurrente componenda iuxta normas Missalis Romani, semper suo loco exprimitur, præterquam pro Beatis Calendarii particularis ad usum Provinciarum, quorum memoria de se est ad libitum.<sup>25</sup>

19. Pro Sanctis et Beatis Calendarii totius Ordinis, formularium integrum præbetur. Pro Beatis Calendarii ad usum Provinciarum, semper collecta propria et nonnumquam etiam duæ ceteræ orationes offeruntur. Elementa quæ desunt inveniri possunt in sectione de Communibus, e Missali Romano deprompta.

#### DE NONNULLIS PARTIBUS MISSÆ

20. Si ingrediendo cantus non peragitur, antiphona — vel una ex antiphonis — ad introitum, in Missali indicata, proclamatur, ut cœtus orantium ad mysterium celebrandum introducatur.<sup>26</sup>

Ad hoc vero expedit et alia elementa adhibere quæ vel in notitia biographica Liturgiæ Horarum de unoquoque Sancto inveniri possunt,<sup>27</sup> vel in breviori quoque *notitia* quam editiones Missalis nostri in linguis vernaculis initio formulariorum collocare poterunt.<sup>28</sup>

culare ad usum Provinciarum O.P. probatum seu confirmatum » [Decr., Prot. CD 670/76, 1º maii 1977], ASOP 43, 1977, pp. 91-93.

<sup>22</sup> Cf. ACG 1971, n. 130.

<sup>23</sup> Cf. OGMR, nn. 313-323, 326-341; IGLH, nn. 243, 244-252.

<sup>24</sup> Cf. MO A. FERNÁNDEZ, « Relatio de statu Ordinis... », ACG 1974, p. 193. — Cf. CP, nn. 17 b et 25; *Normæ universales de anno liturgico et calendario*, nn. 53 c), 54 (MR, p. 108).

<sup>25</sup> Cf. SCSCD, Decr., Prot. CD 670/76, 1º maii 1977 (ASOP 43, 1977, p. 91).

<sup>26</sup> Cf. IGM, nn. 26, 11.

<sup>27</sup> Cf. IGLH, n. 168; « Introductio generalis », n. 25 (LHOP, p. XL).

<sup>28</sup> Cf. infra, n. 69 d). — V. ROMANO, « Indicationes quædam pro adaptatione Proprii liturgici O.P. a Provinciis perficienda » [24 iunii 1978], n. 9 (ASOP 44, 1979, p. 17).

21. Cum duæ collectæ inveniuntur propositæ, illa seligatur quæ magis appropriata sit cœtui liturgico: quarum prima melius aptatur ad celebrationem coram populo fidelium, altera vero ad cœtum Fratrum.<sup>29</sup>

22. Præfationes pro Sanctis, ex Ordine Missæ Missalis Romani desumptæ,<sup>30</sup> adhiberi possunt sive in memoriis sive in festis vel sollemnitatibus. Item præfatio pro Sanctis O.P. hic infra<sup>31</sup> allata simili ratione adhiberi potest.

#### DE EUCHOLOGIA PROPRII ORDINIS

23. Euchologia huius Proprii O.P., in orationibus præsertim sed et in præfationibus et benedictionibus, funditus renovata est et aucta, iuxta dictamina conciliaris Constitutionis de Sacra Liturgia.<sup>32</sup>

Hoc quidem actum est ad spiritum religiosæ nostræ professionis vividius exprimendum et efficacius promovendum,<sup>33</sup> ad multiforme charisma Ordinis late manifestandum atque plenius assequendum.<sup>34</sup>

24. Omnes textus euchologici magni faciunt fructus hodiernæ investigationis historicæ, theologicæ et spiritualis in vita christiana, necnon et indicationes novissimi Concilii de renovatione vitæ religiosæ ad mutatas temporum condiciones accommodata, Fundatorum spiritu et cuiusque Instituti patrimonio servatis.<sup>35</sup>

#### *Orationes*

25. Orationum ad renovationem quod attinet, hæc præ mente habeantur:

a) Priores textus omnes diligenter revisi et retractati sunt (nonnullis peritis cooperantibus) attentis singulorum sanctorum vel beatorum historia et spirituali ipsorum facie, apostolica insuper actuositate — sive doctrinali, sive pastorali aut missionali — cuique propria diligenter spectata.

<sup>29</sup> Cf. « Introductio generalis », n. 44 (LHOP, p. XLVIII).

<sup>30</sup> Cf. *Ordo Missæ*, nn. 31-35, infra, pp. 85-89 (cf. MR, nn. 64-68, pp. 428-432).

<sup>31</sup> Cf. infra, p. 293.

<sup>32</sup> Cf. SC, nn. 4, 21, 23, 37, 40, 43.

<sup>33</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, nn. 14-15 (LHOP, pp. XVIII-XIX).

<sup>34</sup> Cf. CP, n. 40, b (EDIL, n. 2133). — « Introductio generalis », n. 8 (LHOP, p. XXXIV).

<sup>35</sup> Cf. CONC. VAT. II, Decr. De accommodata renovatione vitæ religiosæ *Perfectæ caritatis*, n. 2 (AAS 58, 1966, p. 703).

b) In aptandis autem textibus, vigilantia cura locutiones adhibitæ sunt quæ novissimi Concilii ecclesiologiam sapiunt illique magis coherent, tum præsertim cum de relationibus agitur Ecclesiæ ad mundum.

c) Ut in pluribus, duæ orationes collectæ inveniuntur pro festis vel memoriis obligatoriis Sanctorum Ordinis nostri: quarum prior plerumque communis est et in Missali Romano invenitur;<sup>36</sup> altera vero est Ordini magis propria et sodalium usui in universa Familia dominicana pressius destinata.<sup>37</sup>

d) Nonnullæ Provinciæ, ex. gr. Provinciæ Italiæ, pro suis Beatis alios textus latinos orationum adhibent, in quibus indoles Beatorum præcipue exprimitur iuxta loci consuetudines.

e) Quædam orationes ex antiquo Missali O.P. depromptæ et præstantia euchologica satis præditæ, ad Missas « pro variis necessitatibus » et « votivas » sunt adhibitæ.

### *Præfationes*

26. Præfationes propriæ, aliquibus festivitibus Ordinis aut peculiaribus exigentiis vitæ nostræ respondentes, magna cum diligentia selectæ vel retractatæ sunt, seu integre confectæ.

In hoc sane rationem sectati sumus Missalis Romani, qui non modo pro maioribus sollempnitatibus et festis sed vel pro ipsis sanctorum memoriis aut peculiaribus adiunctis formularia propria exhibet.

27. . De harum Præfationum indole et usu, hæc meminisse præstat:

a) Attenta peculiari devotione, quam Ordo noster inde a suis exordiis habuit erga Deiparam Virginem Mariam, Præfatio propria exarata est pro eius festivitate sub titulo Ss. Rosarii.

Hoc in formulario plura evocantur enuntiata Œcumenici Concilii Vaticani II de B.M.V. Deipara in mysterio Christi et Ecclesiæ.<sup>38</sup>

<sup>36</sup> Cf. A. DIRKS, « De oratione beati Dominici », ASOP 40, 1971, pp. 167-169; Id., « De orationibus Sanctorum nostrorum in libris Ritus Romani instauratis », *ibid.* 1972, pp. 514-525.

<sup>37</sup> Cf. supra, notam 29.

<sup>38</sup> Cf. CONC. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, cap. VIII (AAS 57, 1965, pp. 58-67).

b) Alia insuper formularia Præfationum traduntur pro festiuitate Sanctorum O.P., quæ unitatem quandam præbent, multiformis gratiæ Dei ac donorum eius, quæ uberem Sancti Spiritus actionem ostendunt in sanctis Ordinis nostri quæque efficaciter nos inducunt ad laudem Dei, vitam illorum imitantes et exempla sectantes.

c) De his præcipue agitur præfationibus:

1. Præ aliis, S.P. Dominici: duo formularia pro duabus eius festiuitatibus (quorum unum ex novo confectum, alterum retractatum).

2. Deinde: S. Thomæ Aquinatis (unum, ex novo confectum); S. Petri M. et S. Catharinæ Senensis (ambo ex Missali Ambrosiano desumpta); S. Francisci Assisiensis (ex Missali Seraphico depromptum); S. Augustini episcopi (ex textibus derivatum et sua vice approbatum).

3. Pro Missis, etiam votivis, de Sanctis Ordinis nostri, formularium præcipuum adhiberi potest, quod Sanctorum nostrorum charisma et exemplum manifestat.

### *Benedictiones*

28. Benedictiones sollemnes et orationes super populum, quas sacerdos quibusdam occasionibus adhibere potest ad rituum conclusionem,<sup>39</sup> pro nonnullis festis sunt prævisæ. Earum textus sive creationes propriæ sunt sive ex Missali Romano deprompti.

29. Hæc formularia (nn. 25-27) nonnunquam opulenta, suam notam servant peculiarem: gratias enim agunt Deo ipso initio precis eucharisticæ pro dono Ecclesiæ facto eiusque communitatibus testium et prædicatorum fidei.

Omnis autem gratiarum actio etiam ad renovationem operandam impellit quam Deus in Christo per Spiritum Sanctum instauravit. Idem textus, sua structura poetica necnon indole euchologica, communitates nostras incitant ut salutis œconomiam expertæ in Ecclesia et in Ordine Prædicatorum expedite compleant.<sup>40</sup>

<sup>39</sup> Cf. IGMR, n. 57, a) et MR, pp. 495, 507.

<sup>40</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, n. 15 (LHOP, p. XVIII).

## DE COMMUNIBUS, NECNON DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA

30. Ad usum huius libri faciliorem reddendum, præsertim cum memoria cuiusdam beati vel beatæ Calendarii Provinciarum celebratur, aliqua formularia de Communibus deprompta sunt ex Missali Romano, exceptis eorum collectis.

31. Inter « Missas et orationes pro variis necessitatibus » præsertim nostrum formularium « Pro Prædicatoribus » est recognitum. Ex formulariis Missalis Romani nonnulla memorantur, ut formularium « Pro Concilio vel Synodo » quod etiam pro Capitulo generali adhiberi potest, cuius collecta partim in antiquo Missali O.P.<sup>41</sup> invenitur.

32. Quoad Missas votivas, illæ indicantur — ex Missali Romano desumptæ — quæ cum Officiis votivis Domini (SS. Nominis Iesu et Domini Nostri Iesu Christi patientis) sint coniunctæ.

Formularium de « Patrocinio Beatæ Mariæ Virginis » recognitum est ut tamquam Missa votiva percipiatur, ad certum diem non relata.

33. Præsens editio Missas votivas pro Sanctis Ordinis proprie non prævidet. Tamen ex formulariis exstantibus necnon et normis liturgicis<sup>42</sup> præ oculis habitis, pro opportunitate cœtus orantium vel devotione, Missa votiva pro aliquo Sancto haberi potest. Convenienti autem discretione adhibita, adaptationes Missalis O.P. in linguis vernaculis præcipua formularia pro uno vel alio Sancto nostri Calendarii prævidere possunt.

## III

## LECTIONARIUM MISSÆ O.P.

## STRUCTURA GENERALIS

34. Traditionis Ordinis eximia testificatio præclarusque thesaurus, hoc Proprium liturgicum communem nostram venerationem exprimit erga testes maxime conspicuos gratiæ S.P. Dominici.

In celebrationibus vero peragendis, præsertim ad usum Lectionarii quod attinet, præ mente habeatur oportet priorem locum dandum esse celebrationibus de mysteriis Christi, menstruo Psalterii cyclo necnon lectioni continuæ Sacræ Scripturæ.

<sup>41</sup> Cf. MOP, p. [87].

<sup>42</sup> Cf. IGMR, nn. 326-334.

35. In seligendis et adhibendis textibus Sacrae Scripturae ad hoc Lectionarium conficiendum, iisdem criteriis et orientationibus usi sumus ac in conficiendo Proprio officiorum O.P.<sup>43</sup>

36. In hoc libro amplior lectionum selectio proponitur, ut et Provinciae adiuventur in suis Propriis conficiendis et celebratio Sanctorum O.P. variis in cœtibus foveatur.

Tituli lectionibus appositi necnon propositiones psalmorum responsoriorum, etc., etiam cum hæc elementa ex Lectionario Romano sint desumpta, adaptationem magni pretii constituunt quæ ad nostras celebrationes maxime interest.

37. Textus biblici pro lectionibus ex *Nova Vulgata Bibliorum Sacrorum* [1979] editione sunt desumpti, nonnullis emendationibus appositis iuxta editionem typicam alteram Lectionarii Romani quæ paratur.<sup>44</sup>

Nonnullæ vero antiphonæ e Graduali depromptæ suum textum servant.

38. Lectionarium in hoc volumine una cum Missale editur usus causa, in autonoma tamen sectione locatum.<sup>45</sup>

Pro quibuscumque celebrationibus Calendarii totius Ordinis, saltem unum formularium integrum semper præbetur; alii textus ad libitum sub forma Ordinis lectionum indicantur. Cum Lectionarii Romani editio typica altera nunc [1983] adhuc paretur, visum non est referentias ad paginas prioris editionis [1970] præbere.

In editionibus autem linguis vernaculis, optimum erit si pro posse textus integri edantur.

#### DE USU HUIUS LECTIONARII PRO VARIIS CELEBRATIONIBUS

39. In celebrationibus, quæ Calendario O.P. gradu *sollemnitatis* inscribuntur, leguntur *tres* lectiones, ex hoc Lectionario sumendæ.

In celebrationibus vero quæ gradu *festi* inscribuntur, *duæ* habentur lectiones ex hoc Lectionario sumendæ.

<sup>43</sup> Cf. « Introductio generalis », nn. 12, 34-36 (LHOP, pp. xxxv, xlv); OLM, « Prænotanda », nn. 83-84 (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 389-390).

<sup>44</sup> Cf. OLM, « Variationes Ordinis lectionum » (*Notitiæ* 18, 1981, pp. 420-462).

<sup>45</sup> Cf. supra, n. 2.

In *memoriis* autem Sanctorum Ordinis nostri, sive obligatoriis sive ad libitum, leguntur *duæ* lectiones, vel e Lectionario feriali vel e Communi Sanctorum vel ex hoc Lectionario, prout in die respondenti indicatur, sumendæ.

40. Quod ad memorias attinet, de more præstat lectionem continuam Sacræ Scripturæ non interrumpi.

Quod si fit iusta de causa, celebrans vel communitas, præ oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadæ, ut conspectus argumenti integer præbeat, lectionem omissam resumere potest, v.g. eam opportune componendo cum alia lectione eiusdem hebdomadæ.<sup>46</sup>

#### DE CELEBRATIONIS GRADUS MUTATIONE

41. Cum diversis in locis vel nationibus gradus celebrationum mutatur, attendatur *sollemnitates* tres lectiones habere, quarum prima ex Vetere Testamento (Tempore autem paschali ex Actibus Apostolorum vel Apocalypsi) cum psalmo responsorio, secunda vero ex Novo Testamento, tertia denique ex Evangelio.<sup>47</sup>

#### LECTIONES PRO COMMUNIBUS ET MISSIS AD DIVERSA

42. In lectionibus pro Missis ad diversa et votivis, Verbum Dei hauritur vel ad ipsum accedendo, ab adiunctis et necessitatibus hominum, vel mirabilia Dei et misericordiam eius agnoscendo. Fides et oratio exinde enutriuntur; multimodi aspectus mysterii christiani altius attinguntur.

Pro formulariis in hoc libro notatis, ad Lectionarium Romanum referentiæ dantur. Aliquot tantum textus selecti et editi sunt in Missis « Pro Prædicatoribus » et « Patrocinii B. Mariæ Virginis ».

43. Iuxta suum Calendarium et necessitates particulares, Provinciæ poterunt, pro Communibus et pro Missis ad diversa, votivis ac defunctorum, Lectionarium vel Ordinem lectionum ampliorem constituere quam Lectionarium hic propositum. Sic ergo inter hæc elementa seligi poterunt ab iis qui hos libros adhibebunt, sive pro particularibus celebrationibus beatorum sive pro peculiaribus adiunctis cuiusdam communitatis sive pro Missis vel oratione cœtuum peculiarium.<sup>48</sup>

<sup>46</sup> Cf. IGMR, n. 319.

<sup>47</sup> Cf. IGMR, n. 318; OLM, « Prænotanda », n. 84, c) (*Notitiæ* 18, 1981, p. 390).

<sup>48</sup> Cf. IGMR, nn. 319-320; OLM, « Prænotanda », nn. 85-88 (*Notitiæ* 18, 1981, p. 390).

## IV

## APPENDIX PRO DIVERSIS ELEMENTIS

44. In sectione quæ « Appendix »<sup>49</sup> inscribitur, præsertim elementa in cantu afferuntur, vel Missali vel Lectionario coniuncta.

## ORDO CANTUS MISSÆ

45. In Appendice I inveniuntur indicationes pro cantu gregoriano circa Proprium de Tempore vel festa quæ in hoc Missali continentur. Referentia datur sive ad Graduale O.P. [1950] sive ad Graduale Romanum [1974], sive etiam, nonnunquam, ad antiphonas vel elementa ex aliis libris cantus deprompta, præsertim ex Ordine Hebdomadæ Sanctæ [1965].

Ad usum pastorem faciliorem reddendum, « forma simplicior » prævisa est, orientationibus Gradualis simplicis [1975] innixa.

Huius sectionis Prænotanda peculiariter admonent de forma qua Ordo est confectus.

46. Ordo cantus Missæ O.P. præcipue ergo spectat ad elementa in cantu indicanda, circa Proprium de Tempore, Proprium de Sanctis, necnon circa aliqua formularia, quædam Communium et aliarum sectionum. Præterea nonnullæ antiphonæ seligi poterunt pro introitu vel communionem cum Proprium Officiorum O.P. in varias linguas aptabitur.

Selectio antiphonarum vel reliquorum elementorum quæ differunt ab iis quæ in Missali vel Lectionario proponuntur, eo quod prædita non erant melodia gregoriana, facta est iuxta methodum æquipollentiæ, in Ordine cantus Missæ Romano vel in Ordine cantus Officii<sup>50</sup> adhibitam.

Præsens igitur Ordo nonnisi ut exemplum profertur quod laborem circa celebrationes parandas faciliorem reddat. Pro ipsa enim editione latina, hic Ordo nullam vim habet præceptivam.

47. In seligendis cantibus qui diei vel actioni liturgicæ congruant, proderit præ oculis habere principium « progressivæ sollemnitatis », quod non semel tum Ecclesiæ tum Ordinis Prædicatorum documenta in mentem revocarunt.<sup>51</sup>

<sup>49</sup> Infra, pp. 419 sqq.

<sup>50</sup> Cf. IGMR, nn. 19, 26, 36, 56 i, 313, 324; *Ordo cantus Missæ*, ed. typica 1975, « Prænotanda » (EDIL, nn. 2833-2859; infra, pp. 425-427); IGLH, n. 274; *Ordo cantus Officii*, ed. typica 1983 (*Notitiæ* 1983, pp. 359-528).

<sup>51</sup> Cf. IGMR n. 19; IGLH, n. 273; LCO, n. 65; LCM, n. 88; ICLOP, n. 8.

Quod cum sedulo observatum erit, salva semper mysteriorum Domini dignitate primaria, unusquisque conventus seu domus Sanctos Ordinis celebrare poterit secundum hodiernæ liturgiæ spiritum, iuxta possibilitates locorum et ad maiorem fructum spiritualem apud fratres et sorores.

## CANTUS IN ORDINE MISSÆ OCCURRENTES

48. Editi sunt etiam, cum tonis in Regulis Cantus O.P. [1965] indicatis, qui porro adhiberi possunt,<sup>52</sup> aliquot textus Missæ: « ad ritus initiales », « pro orationibus », « ad liturgiæ Verbi », « toni præfationum », « ad ritus communionis », « ad ritus conclusionis ».

Quoniam illorum usus iam inde ab anno 1961 requisitus sit et in nostris libris ab anno 1965 inveniatur, signa conventionalia seu puncta post notas protrahendas sunt adnotata.<sup>53</sup> Tamen pro elementis quæ ab uno ministro cantantur, secundum opinionem peritorum sufficit tantum hierarchia virgularum [ || | | ] pausas cantus significantium. Ceterum quædam elementa, de quibus ibidem dicturi sumus, anastatice deprompta ex antiquis editionibus, illa puncta non præbebant.

## ALII CANTUS IN MISSALI ET IN LECTIONARIO OCCURRENTES

49. Hæc sectio continet, nova aut anastatica editione proposita, quædam specimina cantus pro certis diebus Tridui Paschalis.

Præconii paschalis, quod cantari potest iuxta melodiam Ordinis, textus præbetur hodie in Missali Romano constitutus.<sup>54</sup>

50. Equidem, sive in nova typographica compositione sive in anastatica editione, hic quædam specimina melodiæ colliguntur, quæ, traditione liturgiæ Ordinis deprompta, attentione digna videntur.<sup>55</sup>

Iuxta confirmationis decretum,<sup>56</sup> sequentia Lætabundus duas minimas correctiones recepit; sequentia vero S.P. Dominici deminuta est aliquot strophis ut ad usum liturgicum melius aptetur.

Inveniri etiam poterunt, in textu et melodia ipsis propria, cantus Genealogiæ qui in Nativitate Domini et in Epiphania adhiberi possunt. Verum, quia paginas Missalis O.P. [1965] ex integro anastatice edimus, forma nostri textus non est iuxta Novam Vulgatam emendata.

<sup>52</sup> Cf. ACG 1974, n. 171: « De quibusdam elementis peculiaribus Ritus nostri », nn. 23, 24, 25; SCSCD, Decr. Prot. CD 671/76, 25 iulii 1977 (ASOP 43, 1977, p. 140).

<sup>53</sup> Cf. ACG 1961, nn. 160, 162; ACG 1962, n. 136.

<sup>54</sup> Cf. SCSCD, Decr. Prot. CD 671/76, 25 iulii, ad n. 10 (ASOP 43, 1977, p. 139).

<sup>55</sup> Cf. ACG 1980, n. 60.

<sup>56</sup> Cf. SCSCD, Decr. Prot. CD 1950/77, ad 54, 56-57 (ASOP 43, 1978, p. 332).

## V

DE APTATIONIBUS ET ACCOMMODATIONIBUS  
HUIUS LIBRI

## A

## Principia generalia

51. Aptatio huius Missalis et Lectionarii ad cœtus cultura linguaque diversos fiet secundum normas a Sede Apostolica et a Conferentiis Episcopalibus, necnon ab Ordine nostro indicatas.<sup>57</sup>

52. Præ oculis quoque habenda est diversa indoles cuiusque sectionis huius libri, necnon quæ in hac Introductione indicantur. Tum in conficiendo unum vel plura volumina, tum in augendo et locupletando Communia ceterasque sectiones, necessitatibus Provincialiarum opportune consulatur.

Quædam vocabula, ad ministros vel ad eorum munera pertinentia, nova forma enuntiari poterunt quæ ad usus communitatum nostrarum in Ecclesia locali melius accommodetur.

Efficacitas pastoralis celebrationis profecto augebitur, si orientationes præ oculis habebuntur quæ in capitulo VII *Institutionis Generalis Missalis Romani*,<sup>58</sup> « De Missa eiusque partibus eligendis », præbentur, et si opportune in lucem ponentur accommodationes a ministris forte allatæ.

53. Pro aptatione tamen textuum circa ritus ac gestus considerare oportet formularia nostra intendere ad celebrationem choralem liturgiæ. Exstant autem elementa peculiaria traditionis liturgiæ Ordini nostro propriæ, quæ exigunt ut usus nostri et diversitates communitatum apte cognoscantur ad rectam ipsorum aptationem peragendam.<sup>59</sup>

Plura de hoc labore sunt iam dicta.<sup>60</sup> Hic infra indicationes memorantur quæ ad hanc sectionem nostri Missalis rectius pertinent.

<sup>57</sup> Cf. « Introductio generalis », nn. 72-79 (LHOP, pp. LX-LXIII); « Adaptationes complementares », nn. 30-40 (LHOP, pp. 17-21).

<sup>58</sup> Cf. IGMR, nn. 313-325 (MR, pp. 85-89).

<sup>59</sup> Cf. « Introductio generalis », nn. 72-73 (LHOP, pp. LX-LXI).

<sup>60</sup> Cf. supra, nn. 4, 5, 9.

## B

## De aptatione Proprii de Tempore

54. Translatio Proprii de Tempore in linguam vernaculam peculiarem exigit curam circa ritus, cantus et textus, necnon circa methodum generalem quæ in Missali Romano pro aptatione partium similium est adhibita.

## DE CANTIBUS TYPICIS ET REPERTORIIS

55. Pluries rubricæ ipsæ indicant cantus magis typicos pro aliquibus actionibus liturgicis vel partibus ipsarum. Aptatio ad hoc intendere debet, ut compositiones vere peculiare reddantur vel saltem elementa præstantiora seruentur.

In cæremoniis præparandis invigilandum erit ut omnia membra communitatis necnon fideles actuose celebrationibus participare valeant, præsertim momentis præcipuis ipsarum.<sup>61</sup>

56. In cantu eligendo, attendendum erit ad genera litteraria et ad possibilitates cætus liturgici; ad qualitatem etiam repertorii respiciatur, principio tamen æquipollentiæ non neglecto.<sup>62</sup> Exinde in linguis vernaculis, aliquæ formæ proclamationis vel lectionis textus cum instrumentis musicis subtile comitantibus celebrationi liturgicæ harmonice accommodari poterunt.<sup>63</sup>

57. Quoad cantum gregorianum, libri nostri liturgici adhuc adhiberi possunt, tamen in quantum naturæ rerum respondeant et iuxta indicationes quas Ordo cantus Missæ continet, ut infra invenietur.<sup>64</sup> Hoc Proprium de Tempore interdum multas antiphonas gregoriano cantu ornatas præbet. In aptationibus ad linguas vernaculas numerus tantum definitus istarum antiphonarum adhiberi poterit, servatis tamen cantibus typicis vel hodierno tempore compositis.<sup>65</sup>

## DE USU ET APTATIONE COMMUNITATIBUS PROPRIIS

58. Hoc Supplementum descriptionem offert instauratam ac generalem rituum quos Ordo ex traditione liturgica sibi propria servat. Pluries tamen varias possibilitates præbet — quæ ad libitum usurpari

<sup>61</sup> Cf. « Adaptationes complementares », nn. 24, 27, 28, 29 (LHOP, pp. 15-17).

<sup>62</sup> Cf. supra n. 46 et notam 50; « Adnotationes complementares », n. 21 (LHOP, p. 14).

<sup>63</sup> Cf. *ibid.*, n. 22 (LHOP, p. 14). — IGMR, n. 12.

<sup>64</sup> Infra, pp. 421 sqq.

<sup>65</sup> Cf. supra, n. 55.

possunt — et locum præstat ad nova per communitates efformanda in his actionibus liturgicis. Quoad aliquos ritus persolvendos (v.g. quoad dispositionem locorum, dispositionem chori, processiones, etc.) varietate attentata nostrarum communitatum (Fratrum, Monialium vel Sororum), consuetudines Ordinis servari possunt.<sup>66</sup> Pariter aliquæ observationes generales intellegi debent cum indicationibus practicis *Institutionis Generalis Missalis Romani* relatæ.

59. Aliqui ritus vel actiones quædam anni liturgici cum nova possibilitate ea peragendi indicata sunt. Orientationes Missalis percurrando, notari possunt hæc: ingressus sollemnis quando processio haberi non potest, aliæ celebrationes, ut Benedictio et impositio Cinerum vel Commemoratio ingressus sollemnis Iesu Christi in Ierusalem, effici possunt in contextu aliquo symbolico liturgiæ Dei Verbi peculiariter aptatæ. Hæ novæ formæ actionis liturgicæ requirunt peculiarem animadversionem communitatum, ut intelligant connexionem inter has novas formas et suam vitam liturgicam.

Æquilibrio generali cuiusdam celebrationis servato, formulariis quoque Missalis Romani, si placet, utendo, æque apta adhiberi possunt unum tantum vel aliqua elementa ex hoc Supplemento O.P. de prompta.

60. Ordo noster in *Indicationibus pro celebrationibus liturgicis* animadvertit liturgiam nostrarum communitatum, in earum structura conventuali, sequi posse orientationes Conferentiarum Episcopalium necnon legitimas suggestiones a conventibus vel a Provinciis propositas.<sup>67</sup> Quæ suggestiones tales esse debent ut fratres aliique fideles actionem liturgicam pleniore modo participare possint, liturgiam christianam apte adimplentes.<sup>68</sup>

## C

### De aptatione Proprii de Sanctis

61. Aptationem huius partis nostri Missalis iuxta normas requisitas fieri oportet. In hoc labore perficiendo præ oculis habeantur indicationes toti Ordini propositæ necnon particulares Provinciarum necessitates, quæ linguæ vel Calendarii peculiaribus exigentiis connectuntur.

<sup>66</sup> Cf. « Adnotationes complementares », nn. 14-17, 31, 37 (LHOP, pp. 9-11, 17, 20); ICLOP, n. 43.

<sup>67</sup> Cf. ICLOP, nn. 2, 9, 20, 40. — Commentarium et bibliographia in ASOP 43, 1977, pp. 260-273; *Notitiæ* 14, 1978, pp. 464-479.

<sup>68</sup> Cf. ICLOP, n. 3; SC, n. 28; IGMR, nn. 2-3, 5, 15, 16; « Adnotationes complementares », n. 16, 35 (LHOP, pp. 10, 19).

## DE ANTIPHONALI-SACRAMENTARIO

62. Initio formulariorum brevis notitia biographica cuiusque Sancti vel Beati edi potest, quæ monitioni initiali libere perficiendæ auxilio esse poterit.<sup>69</sup>

Antiphonis ad introitum vel ad communionem substitui possunt aliqui textus Sacræ Scripturæ magis congrui.<sup>70</sup> Cum cantus typicus pro aliquo Sancto exstat, secundo loco post antiphonas biblicas eius responsorium vel una stropha præberi poterit.

63. Translatio orationum Sanctorum vel Beatorum nostrorum maxima cura conficiatur, præ oculis habendo sensum typicum huius euchologiæ necnon suggestiones prævias normis pro textibus liturgicis interpretandis.<sup>71</sup>

In vertendis vero seu aptandis his orationum textibus, nihil vetat quominus Provinciæ Ordinis quarum interest — utpote strictiores habentes necessitudines cum aliquibus Sanctis vel Beatis (ut sunt, v.g., Provinciæ Italiæ) — elementa magis propria apponant vel alia prorsus adhibeant formularia, approbationi inde rite subicienda.

64. Præfationes quarum quædam aliquot divitias imaginum et theologici sensus præbent ita transferri oportet ut typicæ maneant, non obstantibus exigentiis linguarum vernacularum necnon cantus possibilitate.<sup>72</sup>

65. Communia necnon alia formularia « ad diversa » in hoc Missali, ut supra dictum est, pauciora sunt. Aptationes poterunt illa augere, sive formularia magis idonea de Comuni (martyrum, sanctorum vel sanctarum O.P.) conficiendo, sive missas « pro variis necessitatibus » vel votivas afferendo, quæ utilitati Provinciarum respondeant.

## DE LECTIONARIO PRO MISSIS PROPRIIS

66. Translationis seu aptationis labor circa Lectionarium ad hoc præcipue intendere debet ut lectiones quæ in editione typica latina proponuntur quam optime adhiberi valeant.

Textus valde congrui fient si tituli lectionum apte exprimantur et psalmus responsorius sapienter eligatur. Quandoque suggeri po-

<sup>69</sup> Cf. supra, n. 20. — IGMR, n. 11.

<sup>70</sup> Cf. « Consilium ». Instr. *De interpretatione textuum liturgicorum*, 25 ian. 1969, n. 36, c) (EDIL, n. 1235).

<sup>71</sup> Cf. *ibid.*, n. 34 (EDIL, n. 1233).

<sup>72</sup> Cf. *ibid.*, n. 33 (EDIL, n. 1232).

terit, moderate quidem, facultas adnotationem adiungendi quæ rationem selectionis cuiusdam textus biblici pro quodam Sancto explicet.

Item, præter Indices in hac editione latina confectos, editiones Lectionarii in linguis vernaculis poterunt « **Indicem thematum** » offerre qui usum ampliorem Lectionarii pro celebrationibus vel precibus cum cœtibus peculiaribus fovere valeat.

67. Pro suis ergo necessitatibus, aptationes poterunt hoc Lectionarium plenius perficere, præsertim circa Communia necnon alias sectiones « ad diversa » et votivas.

68. Iuxta linguæ vernaculæ genus, sequentiæ Proprii nostri aptationem recipiant ad textum originalem propinquam sed etiam novitate fecundam. Iis etiam novæ creationes substitui poterunt, quæ autem generi sequentiæ vel prosæ, magno momento liturgico præditæ, adhæreant.

## D

### De quibusdam technicis aspectibus

69. Aliquot aspectus technici vel peculiare, licet non absolute perspecti, tamen pro aptatione huius Missalis et Lectionarii utiles memorari hic oportet, ut eos Provinciæ præ oculis habeant.

a) Optandum erit pro posse, ut Missalis et Lectionarii editiones fiant distinctæ, cantusque typici, qui adsint, includantur.

b) In aptanda hac Introductione generali, attente discernatur quod de se ad editionem latinam seu quod ad editionem in lingua vernacula pertineat, attenta quidem librorum distinctione nuper evocata [cf. a)].

c) Rubricæ, præsertim « Proprii de Tempore », natura rituum servata, ita aptari possunt ut melius necessitatibus communitatum contextibusque ecclesialibus respondeant, præcipue circa ministeria fratrum, sororum ceterorumque fidelium illustranda.<sup>73</sup>

d) Textibus monitionum substitui possunt alii textus qui magis congrui videantur; item initio Missarum propriarum cuiusque Sancti vel Beati parva notitia biographica apponi potest, vel alia quædam adnotatio quæ intelligentiam seu rectum usum pastorem textuum foveat.

e) Quamvis memorari oporteat Ordinem cantus Missæ pro cantu gregoriano exsistere, opportunum tamen erit et Ordinem cantus in

<sup>73</sup> Cf. IGMR, cap. III « De officiis et ministeriis in Missa », nn. 58-73.

lingua vernacula parari, qui ceterum aliquot referentias ad cantum gregorianum includere potest.

f) Ut complementum ad Indicium aptationem requisitum, quædam elementa pastoralia possunt prævideri: Index videlicet thematicus pro Lectionario Missarum, parvæ præsentationes textuum Sanctorum, vel breves indicationes de quibusdam textibus vel ritibus Proprii de Tempore.

In editionibus nostri Missalis ad usum fidelium paratis, elementa ista « catechetica » magis organice in structura libri inserantur.

70. In relatione quæ comitari debet omnem petitionem pro impetranda approbatione seu confirmatione adaptationis huius Missalis et Lectionarii O.P., diligenter indicanda sunt non solum ratio generalis laboris eiusque particularitates si quæ forte sint connexæ, sed etiam aspectus technici vel peculiare supra memorati.<sup>74</sup> Expedi enim ut adaptationes fermentum quoddam constituent pro liturgica communitatum vitalitate, sed ut communionem quoque servent cum isto signo unitatis quod Ordo noster per proprium Missale et Lectionarium proponit.<sup>75</sup>

#### DE ANNI LITURGICI CELEBRATIONE IN VITA COMMUNITATUM

71. Ut anni liturgici cursus et celebratio mysteriorum Redemptionis necnon memoria Sanctorum formationem plenior, spiritualem et corporalem, credentium, ab Ecclesia exoptatam<sup>76</sup> perficiant, maxime convenit ut vita communitatum et tempora liturgica, secundum ipsam traditionem nostram, inter se connexa fiant.<sup>77</sup>

Ita novis formulariis convenienter aptatis, optandum est symbolice significari per anni circulum — attentis concretis possibilitatibus — connexionem inter vitam communitatis et mysterium salutis. Ita Fratres nostri, Moniales et Sorores, etsi parva sit communitas adunata, præsentibus fidelibus vel non, omni opere nitantur ut celebratio liturgiæ plene spiritui et veritati vitæ nostræ evangelicæ respondeat.<sup>78</sup>

<sup>74</sup> Supra, n. 69.

<sup>75</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Vitæ orationis*, n. 23, p. XVIII.

<sup>76</sup> Cf. SC, nn. 102-105; SRC, Instr. *Inter Œcumenici*, nn. 14, 38 (EDIL, nn. 212, 236); CONC. VAT. II, Decr. *Perfectæ caritatis*, nn. 2, 3, 6, 7, 9, 15 (AAS 58, 1966, pp. 703-706, 709).

<sup>77</sup> Cf. « Adnotationes complementares », nn. 8, 16, 19 (LHOP, pp. 6, 11, 12).

<sup>78</sup> Cf. ACG 1974, n. 171: « Nota prævia » (ASOP 43, 1977, p. 134); « Introductio generalis », nn. 8, 85 (LHOP, pp. XXXIV, LXVI). — HUMBERTUS DE ROMANS, *Opera de vita regulari*, ed. J.-J. Berthier, vol. I, Romæ 1888, pp. 167-169.

\* \* \*

72. Ita communitates Ordinis et fideles secundum humanam conditionem, culturam vel apostolicam intentionem diversi, in unum congregati ad mysterium paschale celebrandum decursu anni liturgici et cultus Sanctorum, actu sunt « Ecclesia celebrans », licet conditionibus loci et temporis circumscripta.<sup>79</sup>

In ipsa Christus munus sacerdotale exercet, scilicet « humanæ redemptionis et perfectæ Dei glorificationis opus », et Spiritus Sanctus, per « epiclesin » invocatus in ipso cœtu liturgico, efficit ut communitates nostræ, secundum charisma nobis proprium, dynamicè perficiant ministerium Ordinis, idest Verbi Dei prædicationem.<sup>80</sup>

<sup>79</sup> Cf. MO V. DE COUESNONGLE, Litt. prom. *Orationi et prædicationi*, 7 nov. 1980, n. 30 (LHOP, p. xxvii).

<sup>80</sup> Cf. LCO, n. 1 § III. — « Introductio generalis », n. 73, præsertim notam 104 (LHOP, p. lxi).

## INDEX SIGLORUM

### I

#### LIBRI SACRÆ SCRIPTURÆ

<b>Abd</b>	Liber Abdiæ prophetæ
<b>Act</b>	Actus Apostolorum
<b>Ag</b>	Liber Aggæi prophetæ
<b>Am</b>	Liber Amos prophetæ
<b>Ap</b>	Apocalypsis beati Ioannis apostoli
<b>Bar</b>	Liber Baruch prophetæ
<b>Cant</b>	Canticum canticorum
<b>1 et 2 Chr</b>	Libri I et II Chronicorum (= I et II Paralipomenon)
<b>Col</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses
<b>1 et 2 Cor</b>	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
<b>Dan</b>	Liber Danielis prophetæ
<b>Deut</b>	Liber Deuteronomii
<b>Eph</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios
<b>Esd</b>	Liber Esdræ (= I Esdræ)
<b>Est</b>	Liber Esther
<b>Ex</b>	Liber Exodus
<b>Ez</b>	Liber Ezechielis prophetæ
<b>Gal</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Galatas
<b>Gen</b>	Liber Genesis
<b>Hab</b>	Liber Habacuc prophetæ
<b>Hebr</b>	Epistola ad Hebræos
<b>Iac</b>	Epistola beati Iacobi apostoli
<b>Ier</b>	Liber Ieremiæ prophetæ
<b>Io</b>	Evangelium secundum Ioannem
<b>1, 2 et 3 Io</b>	Epistolæ I, II et III beati Ioannis apostoli
<b>Iob</b>	Liber Iob
<b>Ioel</b>	Liber Ioelis prophetæ
<b>Ion</b>	Liber Ionæ prophetæ
<b>Ios</b>	Liber Iosue
<b>Is</b>	Liber Isaiaë prophetæ
<b>Iud</b>	Epistola beati Iudæ apostoli

<b>Iudic</b>	Liber Iudicum
<b>Iudt</b>	Liber Iudith
<b>Lam</b>	Lamentationes (= Threni)
<b>Lc</b>	Evangelium secundum Lucam
<b>Lev</b>	Liber Leviticus
<b>1 et 2 Mac</b>	Libri I et II Machabæorum
<b>Mal</b>	Liber Malachiæ prophetæ
<b>Mc</b>	Evangelium secundum Marcum
<b>Mic</b>	Liber Michææ prophetæ
<b>Mt</b>	Evangelium secundum Matthæum
<b>Nah</b>	Liber Nahum prophetæ
<b>Neh</b>	Liber Nehemiæ (= II Esdræ)
<b>Num</b>	Liber Numeri
<b>Os</b>	Liber Osee prophetæ
<b>1 et 2 Petr</b>	Epistolæ I et II beati Petri apostoli
<b>Phil</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses
<b>Phm</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Philemonem
<b>Prov</b>	Liber Proverbiorum
<b>Ps</b>	Liber Psalmorum
<b>Qoh</b>	Liber Qohelet (= Ecclesiastes)
<b>1 et 2 Reg</b>	Libri I et II Regum (= III et IV Regum)
<b>Rom</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Romanos
<b>Rut</b>	Liber Ruth
<b>1 et 2 Sam</b>	Libri I et II Samuelis (= I et II Regum)
<b>Sap</b>	Liber Sapientiæ
<b>Sir</b>	Liber Siracidæ (Ben Sira = Ecclesiasticus)
<b>Soph</b>	Liber Sophoniæ prophetæ
<b>1 et 2 Th</b>	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses
<b>1 et 2 Tim</b>	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Timotheum
<b>Tit</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Titum
<b>Tob</b>	Liber Tobisë
<b>Zac</b>	Liber Zachariæ prophetæ

In textu, psalmi sumuntur ex editione quæ dicitur « Nova Vulgata » (Typis Polyglottis Vaticanis, 1979), quæ peculiari utitur computatione versiculorum; nonnullæ vero leves emendationes factæ sunt, iuxta editionem typicam alteram Lectionarii Romani, quæ paratur.

E contra, indicatio versiculorum post titulum uniuscuiusque psalmi responsorii fit iuxta veterem Vulgatam, prouti habetur in editione typica « Ordinis Lectionum Missæ » (Typis Polyglottis Vaticanis, 1981).

Antiphonæ, nisi ex libris cantus sint excerptæ, de more sumuntur ex editione « Nova Vulgata ». Attamen inductæ sunt quædam leves aptationes, sigla « cf. » indicatæ, ita ut versus responsorius, ut plurimum in forma invocationis redactus, facilius a populo cani possit.

## II

## LIBRI LITURGICI

- AG** Antiphonarium S.O.P., ed. S. Gillet, Romæ 1933 [Add. 1948, 1949 et 1961].
- GOP** Graduale S.O.P., ed. E. Suarez, Romæ 1950 [Add. 1962]
- GR** Graduale Romanum, Abbatia Sancti Petri de Solesmis 1974.
- GS** Graduale Simplex. Editio typica altera. Typis Polyglottis Vaticanis, 1975.
- LH** Liturgia Horarum iuxta Ritum Romanum. Editio typica, 4 voll. Typis Polyglottis Vaticanis, 1971-1972.
- LHOP** Liturgia Horarum. Proprium Officiorum O.P., ed. V. de Couesnongle, Romæ 1982.
- LR** Missale Romanum, Lectionarium. Editio typica, 3 voll. Typis Polyglottis Vaticanis, 1970-1971.
- MOP** Missale iuxta Ritum O.P., ed. A. Fernández, Romæ 1965.
- MR** Missale Romanum. Editio typica altera. Typis Polyglottis Vaticanis, 1975.
- OCM** Ordo cantus Missæ. Editio Typica. Typis Polyglottis Vaticanis, 1973.
- OHS** Officium Hebdomadæ Sanctæ O.P., ed. A. Fernández, Romæ 1965.

<b>MOPH</b>	Monumenta Ordinis Fratrum Prædicatorum Historica (Lovanii-Romæ 1896 <i>sqq.</i> ).
<b>MO</b>	Magister Ordinis Prædicatorum.
<b>SC</b>	Sacrosanctum Concilium Œcumenicum Vaticanum II, Constitutio de sacra Liturgia <i>Sacrosanctum Concilium</i> , 4 decembris 1963 (AAS 56, 1964, pp. 97-134; ASOP 36, 1964, pp. 333-363; EDIL, nn. 1-131).
<b>SCCD</b>	Sacra Congregatio pro Cultu Divino.
<b>SCRIS</b>	Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis sæcularibus; usque ad 1 martii 1968: Sacra Congregatio de Religiosis.
<b>SCSCD</b>	Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino.
<b>SRC</b>	Sacra Rituum Congregatio.

Cetera sigla, ad Ordinem cantus Missæ magis pertinentia, indicantur in Appendice, p. 427.

## SIGNORUM EXPLICATIO

- [\* \*] = indicat numerum aliorum formulariorum quæ seligi possunt.
- = indicat textus euchologicos ex Missali Romano vel, nonnumquam, ex alio Missali desumptos.

## CALENDARIUM ORDINIS PRÆDICATORUM \*

## IANUARIUS

*Ss.mi Nominis Iesu*

- |    |  |                     |
|----|--|---------------------|
| 3  | B. Stephanæ Quinzani, virginis                         |                     |
| 4  | B. Zdislavæ de Moravia, matrisfamilias                 |                     |
| 7  | S. Raimundi de Penafort, presbyteri                    | Memoria obligatoria |
| 10 | B. Gundisalvi de Amaranto, presbyteri                  |                     |
| 11 | B. Bernardi Scammacca, presbyteri                      |                     |
| 18 | S. Margaritæ de Hungaria, virginis                     | Memoria obligatoria |
| 19 | B. Andreae de Peschiera, presbyteri                    |                     |
| 22 | B. Antonii Della Chiesa, presbyteri                    |                     |
| 23 | B. Henrici Seuze, presbyteri                           |                     |
| 27 | B. Marcolini de Forli, presbyteri                      |                     |
| 28 | S. THOMÆ DE AQUINO, presbyteri<br>et Ecclesiæ doctoris | Festum              |
| 29 | B. Villanæ de' Botti, matrisfamilias                   |                     |

## FEBRUARIUS

- |    |  |                     |
|----|--|---------------------|
| 2  | [IN PRÆSENTATIONE DOMINI   | Festum]             |
| 3  | B. Petri de Ruffia, presbyteri et martyris<br>B. Antonii Pavoni, presbyteri et martyris<br>B. Bartholomæi Cerveri, presbyteri<br>et martyris |                     |
| 4  | S. Catharinæ de' Ricci, virginis<br>Ante non erit Cinis  | Memoria obligatoria |
| 5  |  |                     |
| 7  | Anniversarium Patrum et Matrum<br>defunctorum  |                     |
| 12 | B. Reginaldi de Orléans, presbyteri  | Memoria ad libitum  |
| 13 | B. Iordani de Saxonia, presbyteri  | Memoria obligatoria |
| 16 | B. Nicolai Paglia, presbyteri  |                     |
| 18 | B. Ioannis de Fiesole seu B. Angelici,<br>presbyteri   | Memoria ad libitum  |

\* Calendarium particulare pro toto Ordine Prædicatorum et Calendarium particulare ad usum Provinciarum O.P. in unam typographicam dispositionem hic colliguntur. Gradus liturgicus indicatur tantum pro celebrationibus quæ ad totum Ordinem pertinent. Pro aliis celebrationibus ad determinationes cuiusque Provinciæ attendendum est.

- 19 B. Alvari de Cordoba, presbyteri  
 20 B. Christophori de Milano, presbyteri  
 24 B. Constantii de Fabriano, presbyteri

**MARTIUS**

- 10 Post non erit Cinis.  
 11  
 22 Ante non erit Pascha.  
 23  
 24 In Vigilia Annuntiationis Domini  
 25 [IN ANNUNTIATIONE DOMINI Sollemnitas]

**APRILIS**

- 5 S. Vincentii Ferrer, presbyteri Memoria obligatoria  
 10 B. Antonii Neyrot, presbyteri et martyr  
 13 B. Margaritæ de Città di Castello, virginis  
 14 B. Petri González, presbyteri  
 17 B. Claræ Gambacorta, religiosæ  
 B. Mariæ Mancini, religiosæ  
 19 B. Isnardi de Chiampo, presbyteri  
 B. Sibyllinæ Biscossi, virginis  
 20 S. Agnetis de Montepulciano, virginis Memoria obligatoria  
 25  
 Ultimum Pascha.  
 26  
 27 B. Hosannæ de Kotor, virginis  
 29 S. CATHARINÆ SENENSIS, virginis  
 et Ecclesiæ doctoris Festum  
 30 S. Pii V, papæ Memoria obligatoria  
 Ante non erit Ascensus.

**MAIUS**

- D. N. Iesu Christi patientis*  
 4 B. Æmiliæ Bicchieri, virginis  
 7 B. Alberti de Bergamo, patrisfamilias  
 8 Patrocinium B. Mariæ Virginis

10	S. Antonini de Firenze, episcopi Ante non venit Ignis.	Memoria obligatoria
11		
12	B. Ioannæ de Portugallia, virginis	
13	B. Imeldæ Lambertini, virginis	
15	B. Ægidii de Vaozela, presbyteri B. Andreæ Abellon, presbyteri	
19	B. Francisci Coll Guitart, presbyteri	
21	B. Columbæ de Rieti, virginis Ante non erit Corpus et Sanguis.	
22		
24	Translatio S. P. Dominici, presbyteri	Memoria obligatoria
27	B. Andreæ Franchi, episcopi	
28	B. Mariæ Bartholomææ Bagnesi, virginis	
29	Bb. Guillelmi Arnaud et Sociorum, martyrum	
30	B. Iacobi Salomoni, presbyteri	

## IUNIUS

2	Bb. Sadoc et Sociorum, martyrum	
3		
	Post non erit Ascensus.	
4	S. Petri de Verona, presbyteri et martyris	Memoria obligatoria
8	Bb. Dianæ et Cæcilæ, virginum	Memoria ad libitum
10	B. Ioannis Dominici, episcopi	Memoria ad libitum
12	B. Stephani Bandelli, presbyteri	
13		
	Post non venit Ignis.	
14		
18	B. Hosannæ de Mantova, virginis	
20	B. Margaritæ Ebner, virginis	
23	B. Innocentii V, papæ	

## IULIUS

7	B. Benedicti XI, papæ	
8	B. Hadriani Fortescue, patrisfamilias et martyris	
9	Ss. Ioannis de Köln, presbyteri et Sociorum martyrum	Memoria obligatoria

- |    |                                    |                      |
|----|------------------------------------|----------------------|
| 13 | B. Iacobi de Varazze, episcopi     |                      |
| 17 | B. Ceslai de Polonia, presbyteri   | Memoria ad libitum   |
| 22 | [S. Mariæ Magdalænæ                | Memoria obligatoria] |
| 24 | B. Ioannæ de Orvieto, virginis     |                      |
|    | B. Augustini de Biella, presbyteri |                      |

## AUGUSTUS

- |    |  |                     |
|----|--|---------------------|
| 2  | B. Ioannæ, matris S. P. Dominici                 | Memoria ad libitum  |
| 3  | B. Augustini Kazotic, episcopi                   |                     |
| 8  | S. P. DOMINICI, presbyteri                       | Sollemnitas         |
| 9  | B. Ioannis de Salerno, presbyteri                |                     |
| 14 | B. Aimonis Taparelli, presbyteri                 |                     |
| 15 | [IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ<br>VIRGINIS          | Sollemnitas]        |
| 17 | S. Hyacinthi de Polonia, presbyteri              | Memoria obligatoria |
| 18 | B. Mannis, presbyteri,<br>fratris S. P. Dominici | Memoria ad libitum  |
| 19 | B. Iordani de Pisa, presbyteri                   |                     |
| 23 | S. Rosæ de Lima, virginis                        | Memoria obligatoria |
| 26 | B. Iacobi de Bevagna, presbyteri                 |                     |
| 28 | S. AUGUSTINI, episcopi et Ecclesiæ<br>doctoris   | Festum              |

## SEPTEMBER

- |    |  |                     |
|----|--|---------------------|
| 2  | B. Gualæ de Bergamo, episcopi  |                     |
| 4  | B. Catharinæ de Racconigi, virginis  |                     |
| 5  | Anniversarium Familiarium<br>et Benefactorum defunctorum<br>Ordinis nostri |                     |
| 6  | B. Bertrandi de Garrigue, presbyteri                                       |                     |
| 18 | S. Ioannis Macias, religiosi   | Memoria obligatoria |
| 20 | B. Marci de Modena, presbyteri<br>B. Francisci de Posadas, presbyteri      |                     |
| 24 | B. Dalmatii Moner, presbyteri  |                     |
| 28 | B. Laurentii de Ripafratta, presbyteri                                     |                     |

## OCTOBER

3	B. Dominici Spadafora, presbyteri	
4	S. P. FRANCISCI ASSISIENSIS, diaconi	Festum
5	B. Raimundi a Capua, presbyteri	Memoria ad libitum
6	B. Bartholomæi Longo, sodalis laici	
7	B. MARLÆ VIRGINIS A ROSARIO	Festum
8	B. Ambrosii Sansedoni, presbyteri B. Matthæi Carreri, presbyteri	
9	S. Ludovici Bertrán, presbyteri	Memoria obligatoria
11	B. Iacobi de Ulm, religiosi	
13	B. Magdalenæ Panatieri, virginis	
21	B. Petri de Città di Castello, presbyteri	
22	ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIAE	Sollemnitas
25	B. Petri Geremia, presbyteri	
26	B. Damiani de Finalborgo, presbyteri	
27	B. Bartholomæi de Vicenza, episcopi	
30	B. Benvenutæ Boiani, virginis	

## NOVEMBER

3	S. MARTINI DE PORRES, religiosi	Festum
5	B. Simonis Ballacchi, religiosi	
6	Bb. Ignatii Delgado, episcopi, Francisci de Capillas, Alfonsi Navarrete, presbyterorum et Sociorum, martyrum in Oriente	Memoria obligatoria
7	OMNIUM SANCTORUM ORDINIS PRÆDICATORUM	Festum
8	ANNIVERSARIUM OMNIUM FRATRUM ET SORORUM DEFUNCTORUM O.P.	
14	B. Ioannis Liccio, presbyteri B. Luciae de Narni, virginis	
15	S. ALBERTI MAGNI, episcopi et Ecclesiae doctoris	Festum
19	B. Iacobi Benfatti, episcopi	
24	B. Margaritæ de Savoia, matrisfamilias et religiosæ	

**DECEMBER**

- 1 B. Ioannis de Vercelli, presbyteri  
16 B. Sebastiani Maggi, presbyteri  
22 *Anniversarium approbationis Ordinis nostri*  
24 In Vigilia Nativitatis Domini  
25 [IN NATIVITATE DOMINI Sollemnitas]